# CONSTITUTIONES SYNODALES
# DANIELIS DELPHINI
## PATRIARCHÆ AQUILEJENSIS
RURSUS EDITÆ


JUSSU

*ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D.*

# PETRI ANTONII
# GEORGII

EX CONGREG. CLER. REG. DE SOMASCHA

ARCHIEPISCOPI UTINENSIS &c.



UTINI. MDCCC.



TYPIS PECILIANIS.

*Superiorum Permissu.*

Die 25 Julii 1856

Ad usum Sebastiani Ariis

S. S. Foschia



# INDICTIO
# SYNODI DIŒCESANÆ.
# DANIEL DELPHINUS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA PATRIARCHA SANCTÆ AQUILEJENSIS ECCLESIÆ &c.



*Niversis & singulis, qui in nostra Aquilejensi Diœcesi Dignitates obtinent, & Beneficia quaevis Ecclesiastica, etiam quae sine ulla cura sunt; quique sacris item Ordinibus initiati sunt; illis praeterea omnibus tum Secularibus, tum Regularibus, qui jure aut*

*consuetudine nostrae Synodo Diœcesanae interesse debent, his nostris litteris ipsam Synodum die XXI. mensis Augusti anni praesentis ab Incarnatione Domini MDCCXL. Utini in Ecclesia nostra Patriarchali S. Antonii Abbatis incipiendam, ac duobus proxime consequentibus diebus prosequendam, & Deo Optimo Maximo adjuvante ad ipsius gloriam, Beataeque Mariae semper Virginis, ac Sanctorum Martyrum* HERMAGORÆ, & FORTUNATI *Parentum, & Patronorum nostrorum laudem, atque ad eorum, qui in nostra fide curaque sunt, salutem absolvendam perficiendamque significamus, indicimus, denunciamus.*

*Omnes igitur & singuli in vim sanctae obedientiae, aliisque sub pœnis jure aut consuetudine adversus non accedentes ad Synodum Diœcesanam ferri, & proponi solitis, ipsi, nisi forte justo detineantur impedimento, ( de quo tamen Nobis constare debebit ) aut certe per suos legitimos Procuratores, & Nuncios huic Synodo omnino adsint, & intersint. . . . . .*

*Qui ad Synodum vocati Utinum venerint, ad amicos ( si quos habent, praesertim Ecclesiasticos homines necessitudine, familiaritate, aut aliquo hospitii jure conjunctos ) denique ad privata domicilia divertant.*

Si

*Si qui ad communia diversoria se receperint, sola necessitate excusabuntur.*

*Decani Capitulorum pridie, Archidiaconi vero, & Vicarii Foranei biduo ante triduanas illas Synodales actiones se sistant mane in Ædibus Patriarchalibus; nomina, cognomina, ac patriam dent Sacerdotum, & Clericorum singulorum suae quisque regionis, qui ad Synodum convenerint, rursusque illorum, qui non convenerint; causis etiam singillatim descriptis, quamobrem non adsint, qui adesse debuissent.*

*Ex praescripto sacrorum Canonum omnes & singuli Cathedraticum in hac Synodo repraesentabunt duos Venetos nummulos argenteos vulgo dictos* da dieci.

*Conveniant autem statutis singulis diebus ad Ecclesiam, ubi Synodus celebrabitur, summo mane ea, qua decet, Clericalis habitus honestate cum superpelliceis mundis, aliisque indumentis & Ecclesiasticis insignibus, quae uniuscujusque dignitas & officium postulat; qua autem die Synodalis processio indicta erit, Parochi Stolas habeant rubei coloris.*

*Quo tempore Synodus habebitur, ne cuiquam Sacerdoti, Clericove discedere Utino liceat, nisi missione a Nobis impetrata.*

*Ac nequid detrimenti in spiritualibus nostrae Diœcesis Fideles patiantur interea, dum Parochi a suis Ecclesiis causa hujus Synodi celebrandae absunt, Archidiaconi, & Vicarii Foranei in sua quisque regione unum aut plures Sacerdotes idoneos pro tempore, locorumve necessitate deligant, qui vices Parochorum in cura animarum per id temporis gerant; sicubi vero nullus reperiatur, cui Paræcia committi recte possit, id Nobis quamprimum significent.*

*Cum autem Clericalis Ordinis homines omni tempore alios vitae exemplo ad virtutem inflammare debeant, maxime vero cum Synodales actiones habentur, seipsos in omnibus praebeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, ut decet sanctos, & ministros mysteriorum Dei, nemini dantes ullam offensionem neque huc accedentes, neque hic commorantes, neque hinc revertentes, ut non vituperetur ministerium nostrum.*

*Sed quoniam sufficientes non sumus non modo facere, sed ne cogitare quidem aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, idcirco monemus, & per viscera misericordiae Dei & Domini*

*nostri obsecramus omnes nostrae Diœcesis Sacerdotes, & Clericos, ut in timore Domini ambulantes orationibus instare, Ecclesias frequentare, hostias & preces offerre satagant, omnique pietatis studio Nobis tam salutare negotium tractantibus auxilium a Patre luminum implorent. Edicimus vero, ut ab hujus Synodi indictione ad ejus exitum in omnibus nostrae Diœcesis Ecclesiis quotidie dicatur ab omnibus Sacerdotibus in Missa oratio* de Spiritu Sancto; *in Cathedrali vero, Collegiatis, & Parochialibus, singulis quintis feriis, una praeterea Missa* de Spiritu Sancto *celebretur, nisi ratio divini Officii aliter postulaverit. Postremo illud Parochis omnibus mandamus, ut ex hac die ad ipsam Synodum festis diebus Litanias cum populo recitent, & eum diligentissime doceant sanctum & salutare Diœcesanae Synodi institutum. Ad id autem potissimum accendi singulos curent, ut Dominica statam Synodalèm diem antecedente vere pœnitentes, & confessi sacram Communionem sumant, ut cum de communi utilitate, omniumque salute agendum sit, communia vota faciant, & in opus tam salutare una omnes caritate conspirent.*

*In quarum rerum fidem has litteras Nostra, nostrique Cancellarii manu signatas confici, & nostro*

Si-

*Signo muniri, & promulgari, ac Patriarchalis nostrae S. Antonii Abbatis, Cathedralis, & Collegiatarum Ecclesiarum, Ædiumque Patriarchalium valvis publice affigi jussimus.*

*Dat. Utini die XXIV. Junii MDCCXL.*

( DANIEL PATRIARCHA Aquil. &c.

*Jo: Dominicus Coronella*
*Canc. Patriarch. Aquil.*

ORA-

# ORATIO

*ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D.*

# DANIELIS DELPHINI

## PATRIARCHÆ

### AD SYNODUM.



Uod desiderio desideravimus, atque expectavimus diu, ecce nunc hac celeberrima lætissimaque die, cujus diluculo, dum matutinis meis exercitiis vacarem, optatissimum nuncium accepi, ex florentissimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Ordine delectum esse Pontificem Maximum Prosperum Lambertinum, cujus ingenium, mores, acta, scriptaque jamdiu omnis Orbis Christianus suspiciebat: ecce nunc tandem, Viri Fratres, Nobis datum summo Dei beneficio, & adjuvantibus Nos Deipara semper Virgine in Cœlum assumpta, ac Sanctis Martyribus & Patronis nostris clarissimis HERMAGORA & FORTUNATO, cæterisque Sanctis omnibus, præsertim Aqui-

le-

lejensis Ecclesiæ, hic Vos in unum collectos intueri, præsentes numerare, congregatos alloqui; & cum primis hoc ipsum, quod hisce diebus in universa Ecclesia factum est, gaudium magnum Vobis annunciare.

Ex quo enim Domino placuit in hujus ministerii opus Angelicis humeris formidandum me imparem servum suum seligere, & segregare: hæc Synodus adeo fuit Nobis in animo, & in votis, ut nihil hucusque actum videretur Nobis, nisi hoc unum, quod supererat, perficeremus.

Licet enim ex annis ferme sex, cum misit Nos Cœlestis Pater in hanc Vineam suam, ut in sudore vultus nostri operaremur in ea, illamque coleremus, & servaremus: fortasse Nos minime pudeat aut illam non custodisse, aut aliis agricolis reliquisse; tamen, quod ad præsentem rem attinet, maxime dolemus, quod non nisi hac die primam hanc Synodum nostram habere potuerimus.


Nam primum debuimus Vineam totam, Diœcesim scilicet, cognoscere atque lustrare, & si qua parte diruta, aut minus tuta, hostilibusque incursionibus esset exposita, inspicere: & quibus demandata esset, investigare, ut illam reficere atque instaurare possemus, & si quis agricola, aut custos minus fidelis & vigil esset, auferre ab illo vil-

li-

licationem, aliique tradere, qui daret fructum temporibus suis. Et testes vos invoco, Fratres. Quem enim vestrum singillatim, quibus maxime cura ejus commissa est, non invisimus ipsi? Quocum rationes non posuimus, aut cui non mandavimus, ut præsto esset operibus suis, atque in id, in quo esset munere, incumberet?

Restabat Synodus. Sed adjuvante miseratione cœlesti citius hanc etiam perfecissemus, nisi id Nobis accidisset, quod Propheta (*a*) (cujus nomine donati sumus, atque utinam patrocinio donemur!) quod, inquam, accidisse perhibet Viro cuidam (quem omnes interpretantur Angelum) qui apparuerat illi juxta fluvium Tigris, cui Princeps Regni Persarum, scilicet alter Angelus, viginti & uno diebus restiterat, & fortasse restitisset diutius, nisi Angelus Michael unus de Principibus primis in adjutorium illi advenisset.

Quæ autem, aut qualis, aut cum quo fuerit lucta nostra, non quidem usque mane uti Jacob (*b*), neque viginti tantum & uno diebus, uti Angeli superius laudati, sed per annum & ultra, neminem vestrum credimus potuisse latere, cum adeo diu-



(a) *Dan.* 10. (b) *Gen.* 32.

diuturna ac difficilis fuerit, ut cum minime superare illum possemus, visi simus quasi marcescere, atque enervari.

Hæc referre hic voluimus, non tam ut dilatam Synodum excusaremus, quam ut imitaremur primæ illa tempora, cum, ut referunt Apostolorum Acta, narrabantur in cœtibus & comitiis, quæ singillatim vel Antiochiæ, Iconii, & Listris, vel quovis alio loco facta fuerant usque in illam diem (*a*).

Sed gloria sit in altissimis Deo, quod & in Terra nostra, in Diœcesi scilicet hac, Nobis hominibus, ut quidem confidimus, bonæ voluntatis sit tandem pax, atque ea, quæ ad divinum cultum, quæ ad Ecclesiasticæ disciplinæ utilitatem, quæ ad observantiam, & regulam morum necessaria credimus, tandem constituere liceat.

Accipite igitur corde puro, conscientia bona, ac fide non ficta, accipite insitum verbum, quod paravimus Vobis, ac non tam memoriæ, quam cordi & animo mandate, ut illud tum aliis tradatis, tum ipsi opere compleatis.

Quid enim prodesset de tanto rerum apparatu lætitia, quid totius Diœcesis concursus, atque expe-

pe-

(a) *Act.* 13.

pectatio, si primum omnium non compararemus nobis ipsis, quæ aut fides, aut zelus domus Dei, vel animarum salus a nobis efflagitat?

Non enim sufficit hæc aliquando egisse, nisi & ea, quæ acta sunt, pariter a Vobis impleantur. Sanctæ Synodi hujus celebritas ad hunc in primis instituta est finem, ut discatis primum quid facere debeatis; deinde alios doceatis quod constitutum est, atque a Sanctis Patribus sancitum.

Non enim tantummodo Nobis datum est nosse mysterium Dei, sed & aliis sternere viam, & parare Domino plebem perfectam. Vanum esset eloquium, atque exhortatio nostra, si, quod Deus avertat, aliter diceremus in moribus, ac divendimus in verbis. Res ista ita efficienda est verbo & exemplo, ut jure merito dici possit, quod in his duobus mandatis summa officii nostri pendeat.

Verbo, inquam, quoniam ad hoc missi sumus, juxta quod dictum est, (*a*) euntes ergo docete omnes gentes, docentes servare omnia quæcunque mandavi vobis.

Exemplo, quia idcirco elegit nos Deus, ut quasi luminaria essemus in Mundo, unde iterum scriptum:

(a) *Matth.* 28.

ptum: luceat lux vestra coram omnibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. Sine pudore, ajebat Symmachus Pontifex Maximus (*a*) invitat ad innocentiam, qui fuerit ipsam secutus; unde & sacri Canones clamant, quam maxime convenire irreprehensibiles esse, quos præesse necesse est corrigendis.

Hæc autem ita inter se conjuncta sint, ut habeatur in ore, quod continetur in corde, atque ita sibi invicem respondeant, ut unusquisque & moveat verbo, & persuadeat exemplo. Quapropter, Fratres, magis satagite, & vigilate, ut per bona opera non minus vestram, quam aliorum, animarum scilicet curæ vestræ commissarum, certam vocationem, atque electionem faciatis. Sic enim faciendo & Vobis, & aliis abundantius ministrabitur introitus in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

Il-

(a) *Sym. Papa ad Lauren.*

*Illustrissimi & Reverendissimi Domini Domini*


# PETRI ANTONII GEORGII

## ARCHIEPISCOPI UTINENSIS

### AD UNIVERSUM SUÆ DIŒCESIS CLERUM

## EPISTOLA PASTORALIS.

*State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, & ambulate in ea.* Jer. VI. 16.



Um Constitutiones Synodales felicis recordationis Danielis Patriarchæ Delphini, Prædecessoris nostri, ut rursus pro vestra utilitate ederentur curaverimus; nonnulla præfari, vosque omnes alloqui statuimus, qui in sortem Domini vocati estis, eique sub diversis quibuscunque Ordinum ac Dignitatum gradibus militatis, vel Clericali tantum habitu ac tonsura insigniti, in tyrocinio adhuc ecclesiasticæ vitæ versamini: quo scilicet ardens desiderium nostrum, adeoque constans ac firma voluntas patefiat;

ut ea omnia quæ ad rectæ disciplinæ formam normamque exprimendam, ac præscribendam hoc volumine continentur, a vobis ( quod muneris vestri ratio, Dei gloria, Ecclesiæ ac Ordinis nostri decus, nec non christianæ plebis ædificatio omnino requirunt ) sancte ac diligenter custodiantur.

Quod si semper, nec intermissa cura faciendum fuit a vobis, quos *sanctos* esse æquum est, quemadmodum *sanctus* est Ille, qui vos a populo segregavit, sibique ministros atque adjutores sancivit; quique *lux mundi* cum sitis, divinæ vocis testimonio, ac *Sal terræ*, debetis vitæ honestate ac sanctimonia usque splendescere, & fidelium mentes virtutum omnium exemplis quodammodo condire: quanto magis in id totis viribus incumbere oportet, turbulentissimis hisce, quam quæ unquam fuerunt, ac miserandis temporibus, cum divina humanaque omnia tot rerum novarum vicissitudinibus permisceantur, maximo sane Religionis, bonorumque morum dispendio; cum Religio ipsa sanctissima ab impiis depravatisque hominibus palam oppugnetur, eaque omnia quæ ad illam quoquomodo referuntur, præfracta audacia impune violentur; cum denique hominum ipsa societas, sanctioribus illius undequaque laxatis vinculis, labefactari videatur, ac pene dissolvi?

In hac tanta rerum omnium perturbatione, in tan-

tanta impietatis ac vitiorum colluvie; quo magis periculum imminet ( Ecclesiastico spiritu jam frigescente, remissisque disciplinæ nervis, ac Sanctuarii lapidibus, proh dolor! huc illuc per vias plateasque dispersis) ut canonicæ ipsæ sanctiones, quæ ad Cleri institutionem pertinent, sensim in desuetudinem abeant, & aliquando etiam oblivione deleantur: eo sollicitiores Nos esse omnino par est, quibus nimirum tam sanctum depositum custodiendum traditum fuit, de earum in Diœcesi nostra observatione; vosque paratiores studiosioresque esse debetis in eisdem ea qua decet reverentia, animique docilitate amplectendis, atque per omnia seduliter fideliterque exequendis. Enimvero, Fratres ac Filii dilectissimi, legum custodia custodiet vos; cum ipsæ repagula quædam vobis futuræ sint, quibus, in tam late pervaganti ac dissoluta morum licentia, in officio contineamini: ipsæ, veluti faces, semitam vobis, rectam illam quidem ac tutam, commonstrabunt, collustrabuntque, per quam, *neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes*, firmiter incedatis; ne inter tot errorum ac corruptelarum tenebras, quæ undique offunduntur, in prærupta & vos, gravi salutis vestræ discrimine, ac christiani populi scandalo, offendentes, miserando casu præcipites ruatis: quod non paucis ex iis ipsis qui aliis Antesignani ac Duces esse debuis-

 sent,

sent, perditissima hac nostra ætate contigisse, flentes trementesque conspeximus, aut certe audivimus.

Neque enim adversus usquequaque serpentes, irruentesque profanas vocum morumque novitates, opportunius præsentiusque præsidium vobis esse potest; quam si Patrum Statuta, ac sanctissimas sapientissimasque regulas, quas ipsi a nitidis vetustatis fontibus derivarunt, ob oculos semper habentes, iis vitam vestram actusque omnes perattente accommodetis: *fugientes ejus, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem, neque antiquos terminos transgredientes*. Id quidem a plerisque ex vobis sancte, ac sine querela præstari, lætantes videmus, Fratres; neque Aquilejensis Cleri, cui succeditis, quemque prisci Ecclesiæ Patres laudibus ad Cælum usque extulerunt, memoriam apud nos omnino aboleri, atque interire: quinimo aliquam, Deo dante, illius speciem a vobis in hac sæculorum fæce, etiamnum repræsentari; quæ si communi ferme Ecclesiasticæ disciplinæ jacturæ, quam boni omnes deplorant, comparetur, satis Nos possit consolari. Verum dissimulandum non est, lucidum illud *aurum* sensim penes nos quoque *obscurari, mutarique colorem optimum*; ac inter plura electa semina, quibus Utinensis Ecclesiæ ager fœcundatur ac ditescit, *zizania* passim succrescere, atque in dies magis ma-

gis-

gisque augeri: a quibus verendum est, nisi periculo mature ac solerter occurratur, ne in hac temporum perversitate ac difficultate, cum prævalentibus morbis, remedia nunc aut obsoleta, aut inefficacia sint, bonæ ipsæ lætæque segetes obruantur, ac suffocentur.

Hoc teterrimum malum, ut a Diœcesi nostra avertatur, Deum enixe precamur; vosque obsecramus, Carissimi, ut *digne ambuletis vocatione qua vocati estis*: quod ut perficiatis, *inspicite* quæsumus, *& facite secundum exemplar, quod vobis* hisce in paginis *monstratum est*; ut vosmetipsos *in omnibus præbeatis exemplum bonorum operum; & in omni conversatione sancti sitis, ab omni etiam specie mala vos abstinentes*. Atque, ut paucis omnia cum Tridentino Concilio complectamur, *ita vitam moresque vestros componite, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ vobis feratis; leviaque etiam delicta, quæ in vobis maxima essent, effugiatis; ut vestræ actiones cunctis afferant venerationem*; (a) ac sic *benefacientes* (quod Apostolorum Princeps monet, & hac tempestate po-

(a) *Sess. 22. de refor.*

potissimum inculcandum est, in qua Ordo noster quasi in signum positus videtur, cui contradicitur) *obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*.

Quoniam vero non tantum *facere*, verum etiam *docere* vos oportet eos, qui *legem ab ore vestro requirunt: attendite lectioni, exhortationi, & doctrinæ*; sintque castæ delitiæ vestræ Scripturæ Sanctæ, (*a*) ex quibus in tot adversis *patientiam, consolationem*, atque *spem* hauriatis; spretis omnino sæculi oblectamentis, quibus iterum in Clericali inauguratione abrenuntiastis: nec non, præter has Constitutiones, sanctos Ecclesiæ Patres, ac probatos Moralis disciplinæ auctores, ( relictis omnino, ac procul amandatis qui laxioris, nec Evangelicæ doctrinæ congruentis sententiæ esse videntur ) diurna versate manu, versate nocturna; quo *possitis* etiam *eos qui contradicunt arguere*, ac *loqui sanam doctrinam* ( *tunc autem doctrina est sanitas*, ait Hieronymus, *cum Doctoris doctrina pariter & vita consentiunt*. ) Eo autem magis oportet nunc *habere formam sanorum verborum*, cum tempus jam advenisse videatur, quod Apostolus vaticinatus est; quan-



( *a* ) *Aug. Conf. L.* 11. *C.* 2.

quando *non sustinebunt* homines *sanam doctrinam, & a veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Cum autem Cleri Congregationes, atque Casuum conscientiæ cæterorumque quæ ad ipsius ac populi disciplinam, & Ecclesiarum cultum pertinent Collationes, maximæ, ipsa teste experientia, sint utilitatis, ad Ecclesiasticam scientiam acquirendam fovendamque: idcirco, si alicubi ipsæ sub quocunque prætextu intermissæ sint, eas quantocius instaurari ab iis, ad quos spectat, mandamus, loco tempore ac forma in Cap. *de Vicariis Foraneis* præscriptis: iique universi hujusmodi Congregationibus adesse debeant, quibus id onus incumbit. Cupimus etiam vehementer, Parochosque omnes enixe hortamur in Domino; ut quod Joannes Hieronymus Gradonicus bonæ memoriæ Prædecessor noster sapienter statuerat, ipsi præstare pergant; ut scilicet eædem Collationes singulis quibusque mensibus a Clero uniuscujusque Parœciæ in Parœcialibus ædibus privatim habeantur.

Porro Ecclesiasticam doctrinam, quæ quodammodo Sacerdotis oculus est, ipsamque *scientiam Sanctorum* vos callere idcirco omnino necesse est; ut possitis Deo, & Ecclesiæ, cujus famulatui vosmetipsos mancipastis, operam vestram commodare,

Sacramentorum administratione, ac prædicatione verbi Dei, aut saltem christianam Catechesim pueris rudioribusque tradendo; potissimum vero pœnitentium Confessionibus excipiendis: quod officium maximi sane momenti, nec non difficultatis aleæque plenissimum (*ars enim est artium regimen animarum*) (*a*) præter cæteras egregias dotes, haud vulgarem divinarum rerum peritiam requirit; ne quis *cæcus cæcum ducat*, in propriam ipsius, aliorumque ruinam. Neque enim Sacerdotalis *ministerii* partes omnes *impleri* a vobis arbitrari debetis (de quo tamen non pauci præpostera opinione sibi blandiuntur) si tantum Canonicarum Horarum pensum persolvatis, sacris etiam Ecclesiæ, cui addicti estis, functionibus assistentes; Missamque quotidie celebretis: licet sit hæc Sacerdotii actio præcipua, ac omnium sanctissima, qua proinde summa devotione & reverentia, sacris cæremoniis graviter ac rite peractis, in Dei gloriam, Ecclesiæ tutamentum ac solamen, nec non christianæ plebis ædificationem, perfungi debetis; *ut vos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*.

Il-



(a) *Greg. M. Past. I. Par.* c. 1.

Illud unusquisque vestrum sæpe repetat, Fratres, ( verba usurpamus Sanctissimi Archipræsulis Mediolanensis Caroli Borromæi ) ( *a* ) *vos non ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritualis atque Ecclesiasticæ militiæ labores vocatos esse*. Neque enim vos *elegit* Christus ut otiosam ac desidem vitam agatis: sed *ut eatis & fructum afferatis*. Quod a vobis onus gravissimum, atque angelicis ipsis humeris formidandum præsertim expostulat, qui curam geritis animarum; ac ideo Pastores vocamini, & vere estis, ut *facti forma gregis ex animo*, exemplo, verbo, oratione illum pascatis. ( *b* ) Jam vero nunc potissimum *laborandum*, hortante Apostolo, nunc *vigilandum* a vobis est; cum tot undique circumstent lupi, insidiasque moliantur, ut gregem dispergant, atque dilacerent: quod si fiat, dormitantibus vobis, sive etiam mercenariorum more, instante periculo, fugientibus, ac magis de vestris, quam de illius commodis sollicitis; *erit anima vestra pro anima* illius qui perierit, ac *sanguinem ejus de manu vestra requiret, qui durissimum judicium* ( quod vel cogitando exhorrescere debemus ) *de iis qui præsunt faciet*. Nunc,

si

---

( a ) *Conc. Mediol. IV. an.* 1579. ( b ) *Bern. Ep.* 201.

si unquam alias, cavendum, ne *Speculatores cæci sitis*, aut *Canes muti*, nec *latrare valentes;* quando *clamare* magis vos oportet, nec *cessare*, *instare opportune atque importune*, *arguere*, *obsecrare*, *increpare in omni patientia & doctrina*. Nunc quammaxime decet, ardere vos, ac *comedi zelo domus Dei* ( qui tamen *secundum scientiam* sit, ac prudentia, discretione, & mansuetudine temperatus ): cum illa tot fœdetur domesticorum scandalis, tot inimicorum incursibus infestetur. Nunc tempus est, justa Dei ira magis exardescente, ac tot tantisque flagellis jamdiu populorum peccata ulciscente, sequestres vos intervenire; ut misericordiam & veniam commissis ovibus exoretis. *Quid enim*, ait Magnus Gregorius, ( *a* ) *Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? Qua igitur fiducia ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio; apud quem de propriis peccatis securus non sum?* Quod si modo medicorum officium vos obire magis oportet, ad tot tantaque sananda animarum vulnera; cogitate cum eodem Gregorio, necesse esse, ut *munda studeat esse manus, quæ aliorum sordes di-*



(a) Ep. 29.

*diluere curat ; ne tacta quaque deterius inquinet ;* sitque qui vos redarguat his verbis : *medice, cura te ipsum . Qua enim libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes* ( gravissimam Tridentinorum Patrum sententiam pensate ) *cum tacite sibi ipsis respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt?* (*a*)

Quapropter vos præ cæteris æquum est, o Cooperatores nostri in animarum regimine, ut *sollicite curetis* vosmet *probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis;* atque *digne Evangelio Christi*, cujus *bonus odor* esse debetis, *conversemini*, ad normam Synodalium Constitutionum; ex quibus etiam quidquid ad Residentiam, ac muneris vestri administrationem attinet, diligentissime vos depromere oportet; nec non satagere, quantum per vos fieri potest, ut ab aliis etiam ipsæ observentur, ( quod exemplo vestro magis, quam hortatu assequemini ): præsertim vero a junioribus Sacerdotibus, ac Clericis, qui intra Parœciæ vestræ fines commorantur; quorum recta in Ecclesiastica disciplina institutio summopere vobis cordi esse debet; ut ipsi in posterum in adjutorium sint ac lenimen Pastoralis vestræ solli-

ci-

(a) *Sess. XIV. de Refor.*

citudinis: unde etiam vigilare indesinenter debetis super eorum conversatione, studiis ac moribus; atque ad Nos, quando opus sit, libere ac sincere referre, quæ auctoritate nostra providenda, aut corrigenda sint.

Vestri enim potissimum causa, anxii & solliciti sumus ( de quo Nobis *testis est Deus* ) o Adolescentes, qui veluti tenella germina, Nobis sane carissima, in Ecclesiæ viridario Nostris, & Cooperatorum nostrorum curis ac sudoribus plantati atque alti, in Utinensis Diœceseos spem succrescitis & educamini; quippe in agro Dominico eorum laboribus successuri, quos nunc tamquam Patres revereri, eorum monitis obsequi, imitari ( dignos enim omnes imitatione speramus optamusque ), nec non diligere etiam debetis. Timemus siquidem vehementer de vobis, qui præ cæteris *cordis Nostri negotium semper estis*, (*a*) ne, cum improvida juvenilis sit ætas, atque ad voluptates ac vitia, utcunque probe instituta, facile proclivis, torrente moris humani & vos abripiamini; hac maxime ætate, qua vel ii qui cautiores firmioresque sunt, non sine magna difficultate adversus ipsius im-

(a) *Aug.*

impetum reluctantur, ac vix recto tramite consistunt.

Quod discrimen ut evadatis, sit vobis, o Filii, harum Constitutionum codex Arca quædam, qua in tuto recipiamini; atque ab exundantibus procellosi sæculi fluctibus ad æternæ salutis portum prospero cursu enavigetis. Illum itaque, quem vestris potissimum usibus elegantiori ac commodiori forma recudi mandavimus, præ manibus semper habete; atque in illo, quasi in speculo quodam, vos sæpe sæpius inspicite, *videntes vocationem vestram; ut non conformemini huic sæculo, sed reformemini in novitate sensus vestri; expoliantes vos veterem hominem, ac novum induentes*. Vos enim *non spiritum hujus mundi accepistis*; sed *spiritum qui ex Deo est*, quem sollicite, ne *extinguatur*, custodire debetis; ut *abnegantes impietatem ac sæcularia desideria, sobrie, ac pie vivatis. Sancti sunt Clerici* (Doctoris maximi præclara verba intimis cordis medullis infigite): (*a*) *ita ergo agite, ut adolescentiam vestram nulla sorde commaculetis, ut ad altare Christi, quasi de thalamo virgo, procedatis*. Nihil autem magis vos a sæculi contagione intactos servabit, felicius-

(a) *Hieronym. ad Rust.*

ciusque provehet ad virtutum omnium quæ vocationi vestræ respondeant, exercitationem; quam si otiositatem quæ *multam docet malitiam*, diligentissime præcaveatis. *Oportet igitur* ( libet Theodulphi Aurelianensis Episcopi verba exscribere, frugis sane plenissima ) *& assiduitatem habeatis legendi, & instantiam orandi; quia vita viri justi lectione instruitur & ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato, juxta illum qui dicebat: in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus Diabolus expugnatur: hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur, vitia comprimuntur, virtutes nutriuntur. Si quando a lectione cessatur, debet operatio subsequi; quia otiositas inimica est animæ; & antiquus hostis, quem a lectione sive ab oratione vacantem invenerit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis qualiter & vos vivatis, & alios doceatis. Per usum orationis, & vobis & his quibus in charitate conjuncti estis, prodesse valebitis. Per operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subvenietis, & habebitis quo necessitatem patientibus porrigatis.* (*a*)

Re-



(a) *Capit. an.* 797.

Reliquum est, Fratres ac Filii dilectissimi, ut extremis etiam verbis oremus vos atque obsecremus in Domino, ut *exbibeatis vos in omnibus sicut Dei ministros .... in castitate, in scientia, in charitate; nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum:* atque a Deo enixis precibus postulemus pro vobis, ut infundat in corda vestra *Spiritum Sanctum disciplinæ;* quo illustrati atque inflammati, *impleamini agnitione voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali; ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes:* adeo ut *ignem* illum, quem *venit* Christus *mittere in terram*, in aliorum etiam cordibus *accendatis; vosque ipsos salvos faciatis, & eos qui vos audiunt:* quæ profecto Sacerdotalis officii est veluti summa; nec non laborum nostrorum scopus, ac meta optatissima.

Cuperemus quidem vehementer, Fratres, omnium vestrum facies, si fieri posset, videre, atque *os ad os* vobis *loqui;* ut congregati in unum, statueremus ( præter ea quæ Majores nostri utiliter sanxerunt ) quæ magis temporum conditioni convenirent; atque accommodata forent ad abusiones convellendas, aut minus rectas consuetudines corrigendas, quæ exinde invaluerunt; nec non Cleri ac populi disciplinam facilius efficaciusque, conjunctis simul viribus, ubi detrimentum aliquod passa sit, resar-

cien-

ciendam: cui desiderio nostro aliquando satisfactum iri speramus, si *Pater misericordiarum ac Deus totius consolationis* pacatiora, atque huic consilio opportuniora tempora Nobis, simul cum vita superstite, elargiri dignetur. Interim vobis fausta omnia ac prospera a Deo Optimo Maximo adprecamur: vosque omnes, Fratres, *obsecramus* vicissim *per Dominum Nostrum Jesum Christum*, & *per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis Nos in orationibus vestris pro Nobis ad Deum .... ut refrigeremur vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis*. Amen.

Ex Ædibus Archiep. Die prima Novembris 1800.

IN

# IN NOMINE

## SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

# NOS DANIEL DELPHINUS

## DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA PATRIARCHA AQUILEJEN. &c.

IN NOSTRA DIŒCESANA SYNODO PRIMA
HÆC STATUIMUS ET SANCIMUS.



## CAP. I.

### *De Fidei Professione.*



SAnctissimorum Conciliorum exemplis & Constitutionibus inhærentes ab ea, quæ est spiritualis ædificii, & totius Religionis fundamentum, Catholica Fide exorsi, præcipimus, ut, quæ e sacri Tridentini Concilii decreto Fidei professio hic edita est, ab iis qui Synodo intersunt, ab reliquis item, qui ad Synodum non venerunt, cum venire debuerint, emittatur intra mensem ab istarum Constitutionum promulgatione coram Nobis, aut Vicario nostro Generali; aliter contra eos ex præscripto sacrorum Canonum procedemus.

Ad ejusdem Fidei professionem suo loco, & tempore per se, non per procuratorem præstandam teneri pariter infrascriptos declaramus.

I. Provisos de Canonicatibus & dignitatibus in Ecclesia Cathedrali, &, ut antiqui nostræ Diœcesis moris est, in Collegiatis etiam: tum in manibus nostris, aut Vicarii nostri, tum in Capitulo, intra bimestre post adeptam Canonicatus, aut Dignitatis possessionem.

II. Obtinentes Ecclesias Parochiales, seu Curatas quascunque & quoties obtinuerint: in manibus nostris, aut Vicarii nostri intra idem tempus ab adepta possessione.

III. Archidiaconos & Vicarios Foraneos cum primum ad hoc munus promovebuntur: in manibus nostris.

IV. Concionatores, Confessarios, & eos, qui scientias docent, sive Seculares, sive Regulares: illi quidem coram Nobis, seu Vicario nostro; hi vero in manibus suorum Superiorum, & hoc semel tantum, nempe cum primo id Officii suscipiunt.

Forma autem Professionis ea esto, quam Pius IV. Const. *In Sacrosancta* ab omnibus observari mandavit.

*Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula quae continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cœli & Terrae, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum* JESUM CHRISTUM *Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est.*

est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, & constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere, & proprie Sacramenta novae legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula quae de peccato originali, & de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramen-

 to

*to esse vere, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & divinitate Domini Nostri* JESU CHRISTI, *fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium Suffragiis juvari: similiter & sanctos, una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano Populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco. Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac* JESU CHRISTI *Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus, & Œcumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque Haereses quascunque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque a*

*meis*

*meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, & doceri, & praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & haec Sancta Dei Evangelia.*

Volumus autem, ac jubemus, tum in Archivio nostro Patriarchali, tum in Capitulis certum asservari librum, in quo professæ ab omnibus Fidei memoria extet, ut innotescant qui professi non sint.

## CAP. II.

### *De Fide tuenda.*

NE dormiente Patrefamilias inimicus homo zizania superseminet, & messem corrumpat, Parochis omnibus præcipimus, ut si quid in sua Parochia deprehenderint facto, dicto, scripto, pictura, sculptura, etiam exercendi ingenii causa, quod sit contra certum Ecclesiæ Catholicæ sensum, aut suspicionem afferat rationabilem violatæ, seu infectæ Religionis, aut scandalum oleat, ad Nos, & ad Sanctum Officium deferant; idemque Parochianos suos moneant ut faciant.

Et quia satis patet, ex libris tanquam ex venenatis fontibus impium fluere liquorem, quo animi vel nequiorum, vel imperitorum facile corrumpi, & imbui ad perniciem possunt; omnes nostræ Diœcesis Fideles monemus, monerique per Parochos mandamus, ut ab iis libris legendis omnino abstineant, quibus publicæ tranquillitatis, & Religionis perturbatores ea, quæ Rescriptis Apostolicis definita sunt, in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare etiam sub specie pietatis & sanctioris disciplinæ non verentur. Hujus generis, & Hæreticorum, aut aliter pro-

scriptos libros qui sine facultate legunt, aut apud se retinent, Nobis denuncientur.

Cum autem Hæresi proximum sit execrabile blasphemiæ scelus, in eo quoque coercendo omnis sit Parochorum diligentia. Moneant etiam Parochi sæpe ac sæpius Parochianos suos, ut si quis unus aliquem hæreticaliter blasphemantem audierit, si possit sine periculo, eum asperius objurget, ejusque nomen ad Judicem Ecclesiasticum, vel Secularem omnino deferat: si vero plures simul audierint, omnes idem faciant, nisi inter eos convenerit, ut unus pro omnibus id præstet: utque ad id excitare illos possint, Parochi significent etiam illam decem annorum Indulgentiam, quam Leo X. in Lateranensi Concilio toties cuivis concessit, quoties aliquem blasphemantem accusarit. Sed quia Vulgus sæpe in hoc errat, quod blasphemiam esse putat, quæ revera non est, idcirco Parochi, cum opus est, explicent, quid eo nomine intelligatur, & quot sint genera blasphemiæ.

Sed cum huc etiam pertineant maleficia, sortilegia, & divinationes; Parochi Sortilegos, Maleficos, Ariolos, & id genus homines, nec non qui ad eos confugiunt, graviter in suis concionibus insectentur. In Confessionibus autem dispiciant, utrum Dæmonum operam expresso an tacito pacto invocaverint, num sacris rebus abusi sint, num ex simplicitate tantum, & ignorantia vanis observationibus curam, & fidem adhibuerint; & pro crimine graviter admonitos, & digna pœnitentia injuncta absolvant, si facultatem habuerint; si secus, ad Nos, aut ad Vicarium nostrum, aut ad Pœnitentiarios remittant.

Insectentur pariter genera quædam remediorum, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus ea sint, sive in quibusdam notis, quos

cha-

characteres vocant, sive in quibuscumque rebus suspendendis, atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes occultas, aut etiam manifestas.

## CAP. III.

### *De Praedicatione Verbi Dei & Doctrina Christiana.*

CUm inter præcipua Pastorum munia Verbi Divini Prædicatio injuncta sit, jubemus ac præcipimus, ut Archipresbyteri, Plebani, Curati, & quicunque Parochiales, vel alias Curam animarum habentes Ecclesias quocunque modo, & nomine obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitime ipsi impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus Plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Id vero si quis eorum præstare neglexerit, etiamsi a nostra jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderit, etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ fuerint, graviter se a Nobis punitum iri sciat; neque quis se excuset aut consuetudine etiam immemorabili, aut paucitate Parochianorum, aut alio in eadem vicinia concionante. Quod si quis ætate ingravescente, morbo diuturno, aliave legitima causa impeditus hoc munus exequi ipse non poterit, Coadjutorem a Nobis sibi postulet, aut suis sumptibus accipere cogetur.

Prædicationis suæ argumenta sumant vel ex Evangelio Dominicæ currentis, vel ex historia vitæ Sancti, cujus dies festus agitur, quam per compendium populo ad imitandum proponant; potissimum vero ex Catechismo Romano Sacramentorum naturam, vim, ac ne-

necessitatem explicent. Ita vero dicant, ut de elaboranda Concione, & ex arte Rhetorum formanda, non sint solliciti, sed eo cogitationem omnem intendant, ut Beati Pauli Apostoli exemplo sigillatim cujusque status homines instruant, sive filios sive parentes, sive servos sive dominos, sive viros sive uxores, sive senes sive juvenes, sive divites sive pauperes, & afflictos, cum eorum partes & officia pro cujusque ætate, genere, ordine, statu, conditione assidue commemorando, tum annunciando eis cum brevitate sermonis vitia, quæ declinent, & virtutes, quas sectentur, ut pœnam æternam evadere, & æternam gloriam consequi valeant. Sint autem vehementes in iis vitiis, & peccatis exagitandis, in quæ sæpius prolabi populum animadverterint.

Nullus alius Sacerdos, aut Clericus secularis sine nostra licentia in nostra Diœcesi prædicare præsumat, ne in Ecclesiis quidem Regularium. Regulares vero cujuscunque Ordinis, licet ab iis qui eorum Curæ præsunt, facultatem concionandi habeant, tamen ne in suis quidem Ecclesiis concionentur, nisi petita a Nobis Benedictione: Nobis autem contradicentibus nullo modo juxta Concilii Tridentini constitutionem: in Ecclesiis autem, quæ suorum Ordinum non sunt, non nisi impetrata præterea a Nobis vel a Vicario nostro facultate. Sive autem facultatem, sive benedictionem nunquam per internuncios impetrabunt, sed ipsos accedere volumus, & simul Parochis mandamus, ne quem eorum intra fines suæ Parochiæ concionari patiantur, qui sibi scriptum testimonium obtentæ facultatis non ostenderit; quod diligenter, sed moderate tamen præstabunt etiam cum Regularibus Mendicantibus, qui eleemosynæ causa concionari volent. Errones, & extra sua Monasteria viventes nunquam admittant.

Et

Et quia summopere advertendum est, cujus vitæ sint Divini Verbi Prædicatores, ne quid destruant plantare fingentes; injungimus propterea omnibus curam animarum exercentibus, ut si quem resciverint Prædicatorem scandalosam vitam agere, & errores disseminare in Populum, statim ad nos deferant.

## *De Doctrina Christiana.*

CHristianam Doctrinam ad imbuendas puerorum mentes fide ac pietate ab Ecclesia sancta institutam, præcipimus, & mandamus Parochis, & quibuscumque animarum curam habentibus cujuscumque nominis, ordinis, & prærogativæ, ut doceant omnibus Dominicis, & festis diebus, qui Ecclesiæ præcepto aguntur, excepto die Natali, & Corporis Domini nostri Jesu Christi, nec non Dominico Paschatis, & Pentecostes.

Igitur post prandium dato alicujus Campanæ signo, & vexillo Crucis, ubi commode fieri potest, per Parochiam circumlato, pueros in Ecclesiam congregari curent, & juxta Scholarum Ordinem (maribus semper a fœminis separatis) minimum unius horæ spatio in Catholica Fide & religione instituant. Quicunque hoc omiserit, non legitime impeditus, ei toties unius Scutati Veneti mulctam indicimus tradendi Vicario Foraneo ad ejusdem Ecclesiæ usum pro scholis Doctrinæ Christianæ. Quod si quis sæpius in anno, sive continenter, sive interrupte hoc officium prætermiserit, is præterea subjacebit pœnis aliis Ecclesiasticis arbitrio nostro.

Omnium puerorum nomina in Catalogum referant, ut, an omnes adsint, scire possint. Absentes notent, & a Domesticis eorum absentiæ causam cognoscant;

tar-

tardos invitent & alliciant; refugientes ostiatim etiam conquiri curent; convenientibus blandiantur; recitationes & pia æmulandi studia inter eos excitent, & devotæ alicujus Imaginis, aut ejusmodi rei præmiis propositis eos ad perdiscendum inflamment: dissolutiores animadversionis metu contineant.

Ne autem per horas Doctrinæ Christianæ pueri alio alii aberrent, curent diligentissime Parochi, & Magistratuum etiam Secularium fidem & religionem implorent, ut in tempore illo ubique abstineatur a tripudiis & ludis, ne iis pueri ab Ecclesiis avocentur. Ac si quis sive Laicus, sive Clericus, sive Regularis, vel profanis, vel sacris operibus salutari huic instituto incommodaverit, & monitus non desierit, de eo ad Nos referatur.

Quamquam autem ad Parochos spectat Doctrinam Christianam per se explicare, Operarios tamen in Officii sui partem vocare, ac sibi adjungere ne negligant; imo Nos præcipimus, primo Capellanis omnibus Communitatum ruralium, & Cooperatoribus omnibus Parochorum sub pœnis arbitrio nostro, deinde Clericis, & Clericalem habitum gestantibus sub pœna nullius promotionis, ut statutis diebus in Parochia, intra cujus fines sunt, Doctrinæ Christianæ pueros erudituri sedulo intersint. Nam alios Sacerdotes non solum hortamur ad opus tam salutare; sed iis etiam denunciamus neminem admissum iri ad Confessiones audiendas, multoque minus ad ullum parochiale Beneficium, nisi Nobis Parochi testimonio constiterit de illius assiduitate in tradenda Doctrina Christiana.

Sed & Laicos, quos Parochus idoneos cognoverit, tum mares, tum fœminas intimo cordis affectu in Domino hortamur, ut idem munus tradendi Christianam Doctrinam, in Ecclesiis præsertim ruralibus, ubi messis

sis est multa, Operarii autem pauci, libenti animo suscipiant: quod ut libentius faciant, Parochi inter Missarum solemnia sæpe sæpius Indulgentias explicabunt, quas summi Pontifices Gregorius XIII. Pius V. Paulus V. & Clemens XII. iis tribuerunt, qui Christianam Doctrinam docent.

Non solum autem in Ecclesiis Parochialibus, verum etiam in Filialibus Pagi, aut Vici frequentis, & ita ab ipsa Parochiali dissiti, ut ad eam facile omni anni tempore non possit accedi, Parochi diligenter curabunt, ut eam tradant eisdem statutis diebus vel Capellanus, vel alius Sacerdos, aut Clericus, vel denique aliqui spectatæ probitatis Viri, & Fœminæ non tam ætate quam moribus graves.

Atque ut una ubique sit tradendæ Fidei communis regula, & ratio, mandamus ut in universa nostra Diœcesi omnes utantur in Scholis Doctrinæ Christianæ methodo, & institutionibus, quæ libello comprehenduntur a cl. mem. Cardinali Bellarmino edito, & fel. recor. Clemente VIII. & XI. probato, nisi Nobis pro varia locorum nostræ Diœcesis exigentia aliud videbitur.

Et quia sæpe evenit, ut multi ætatis etiam provectioris tum in Civitatibus, tum in Oppidis & Pagis necessaria ad æternam salutem ignorent, &, quod summopere dolendum est, ea in Scholis Doctrinæ Christianæ addiscere verecundentur: multi etiam armentis & gregibus pascendis addicti vix festis diebus Missæ intersint; jubemus Parochos, & Curatos quoscunque omnibus, & singulis Dominicis ac festis diebus, post peractam sacri Evangelii declarationem, Populo clara voce & distincte recitare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Decalogi & Ecclesiæ, Mysteria Fidei, tum actus

Fi-

Fidei, Spei, Caritatis, & Contritionis. Præmoneatur autem Populus, ut attente subsequatur, & devote discere studeat. Idem servetur in Pagis a Celebrante alteram post Parochialem Missam, ad quam Pecuarii & Armentarii & reliqui Pastores conveniunt.

Quod si tanta adhibita cura aliqui tamen fuerint, qui aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut inquirendi verecundia, ea quæ ad æternam salutem necessaria sunt, penitus ignorent, his fas non sit neque in Baptismo, & Chrismate quemquam suscipere, neque nubere; quod sæpe Parochi in Concione significent. At vero Confessarii meminerint proscriptæ ab Innocentio XI. propositionis LIV. *Absolutionis capax est homo quamtumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimae Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.* Patribus quoque & Matribusfamilias, qui Filios suos, servos, & domesticos sibi subditos nec domi ipsi instruunt, neque ad Ecclesiam instruendos mittunt, gravissima a Confessariis pœnitentia imponatur; &, si iterum ac tertio moniti nulla tamen dederint signa emendationis, prorogeanda illis erit absolutio, donec officio suo satisfecerint.

## CAP. IV.

### *De Festorum Dierum Sanctificatione, & Jejuniis.*

Dies festi, qui ad celebrandas Dei laudes, Sanctorumque memoriam pie colendam salubriter instituti sunt, curandum est diligenter, ut sancte ab omnibus observentur, & ne iis homines ad majora perpetranda scelera abutantur. Quapropter omni studio & dili-

diligentia Parochi inculcabunt, tempus diei festi in audiendis concionibus, & Missæ sacro, ac divinis Officiis ponendum esse, non in comessationibus, ebrietatibus, aut negotiis secularibus. Et quoniam pluribus in locis inolevit abusus, ille quidem a memoria, nedum a consuetudine Fidelium tollendus, ut solemnioribus quibusdam diebus, vel Dedicationis Ecclesiæ, vel Natali Sancti Titularis, aut Patroni, cum frequentior Populus ad Ecclesiam solemnitatis, ac devotionis causa venit, non sine maxima Dei offensione, & bonorum scandalo choreæ ducantur, & cibo ac potu intemperanter se homines obruant, unde flagitia, blasphemiæ, rixæ, & homicidia sæpe consequuntur, ipsis pene Ecclesiarum foribus profanatis; idcirco Parochis omnibus, & animarum curam habentibus districte præcipimus, & sub interminatione Divini judicii mandamus, ut quantum possunt, tantum nitantur, quo abusus & corruptela hujusmodi omnino tollatur. Magistratus autem, & Dominos quoscunque jusdicentes seculares per misericordiam Dei obsecramus, ne prætextu jurisdictionis tuendæ aliamve ob causam grave hoc piaculum defendere, & autorizare velint.

Norint autem iidem Parochi & Curati suas esse partes die Dominico inter Missarum solemnia festos dies incipientis hebdomadæ populo significare. Præter autem eos dies festos, qui in Calendario nostro universis & singulis sanctificandi præscribuntur, ullum alium peculiarem alicujus loci sub præcepto indici prohibemus sine nostra auctoritate & decreto, nisi a Prædecessoribus nostris scripto decreto permissus ille sit.

Festa mobilia totius anni denuncientur, ut Ecclesiastici instituti est, in ipsa Epiphania Domini, in Parochiis quidem vulgari sermone, in Cathedrali vero, & Collegiatis juxta formam Pontificalis Romani.

Cum

Cum autem nostræ Diœcesis Fideles ad omnium Sanctorum festos dies magna devotione recolendos inflammandi sunt, tum maxime gloriosissimorum Martyrum ac Parentum nostrorum HERMAGORÆ, & FORTUNATI; ut qui clarissimo Fidei testimonio, & triumphali sanguine Ecclesiæ Aquilejensis initia dedicarunt, eorumdem nobiscum & gloriosa merita divinis laudibus & gratiarum actionibus prosequantur, & præsentissimum patrocinium, quo muniti omnes sumus, piis supplicationibus magis magisque promereantur.

Quia vero Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum; ideo si necessitas, non affectata, seu procurata (velut cum ea, quæ diebus profestis agi aut procurari deberent, in diem Dominicum aut festum ex proposito differuntur, aut incidente die festo, tum aguntur, cum differri possunt) urgeat, vel caritas suadeat, in his cognita causa dispensandum esse declaramus, in hac quidem Urbe a Nobis, aut Vicario nostro, in aliis autem locis a Vicariis Foraneis, atque etiam a Parochis, ubi Vicarii Foranei commode adiri non possint; sed ea ratione dumtaxat, ut Missa, aliaque divina Officia, & preces non prætermittantur. Meminerint autem & ii, quibus dispensandi facultatem permittimus, & ii, qui dispensationem petunt, *se decipere ipsum, qui fallit, nihilque per nostram facilitatem Tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata, quae pia, quae vera, quae justa sunt*.

Demum commonefaciant Parochi Populum de proscripta ab Innocentio XI. propositione LII. *Praeceptum servandi Festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus*.

De

## De Jejuniis.

QUod de Festis denunciandis constituimus, idem de jejuniis observandum mandamus.

Igitur maximam curam collocent Parochi in explicando jejuniorum præcepto, moneantque sæpenumero Populum.

I. De proscriptis in hac materia ab Alexandro VII. propositionibus XIII. XXIX. XXX. XXXI.

II. Licet non urgeat præceptum jejunandi nisi expleto anno vigesimo primo, conveniens tamen esse, ut adolescentes, præsertim valentiores, etiam ante hanc ætatem, quam sæpe possunt, jejunent, tum ut jejunio assuescant, tum ut cupiditates comprimant, quæ sola oratione & jejunio vincuntur.

III. A jejunio dispensari neminem, nisi urgens necessitas, imbecilla ætas, ac morbus excuset, ac de his judicium a Parocho petendum esse. Quod vero ad valetudinis causam attinet, tempore Quadregesimæ, habita prius Medici attestatione, dispensandi facultatem in hac Urbe Nobis, nostroque Vicario reservamus, extra vero Archidiaconis, Vicariis Foraneis, & Parochis tribuimus. Atque hoc loco Medici cogitent, ita a se corporis sanitati consulendum esse, ut ne obliviscantur potiorem haberi debere animarum salutem; quapropter caveant diligenter, ne alienæ culpæ participent nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis, neve iis indulgeant, qui fingunt laborem in præcepto. Exemplis tamen Alexandri VII. & Clementis XI. inhærentes declaramus, neminem in nostra Diœcesi ita dispensatum iri a cibis quadragesimalibus, ut vescens salubribus carnibus jejunium servare non debeat, nisi excuset valetudinis imbecillitas:

quod

quod & Confessarios scire, & iis qui dispensantur significari a dispensantibus volumus.

IV. Ut non sola ciborum abstinentia utilitatem jejunii metiantur, sed sibi persuadeant in hoc esse jejunium salutare, ut, sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrenetur a vitiis.

V. Ut jejunii tempore se disciplinæ severiori addicant, frequentius divinis Officiis, Missæ Sacrificio, sacrisque Concionibus intersint, piisque institutis & moribus sacro illi tempori convenientibus se, suosque, qui Patresfamilias sunt, quam rectissime ab omni parte conforment.

VI. Ne Patresfamilias, Tabernarii, Caupones, & Diversores tempore jejuniorum in suis domibus, tabernis, atque hospitiis quemquam cibis vetitis uti permittant, & multo minus ipsi eos parent, ac præbeant, nisi nostram, aut eorum, quibus dispensandi facultatem dedimus, super hoc licentiam viderint, aut nisi morbus compulerit, aliave urgens, & repentina necessitas; alioquin & qui parabunt præbebuntque, & qui vescentur, rei erunt peccati mortalis.

## CAP. V.

### *De iis, quae ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent.*

SAcramenta Ecclesiæ, per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur, ministrentur omnia juxta ritum, & Ordinem Romani Ritualis Pauli V. Pont. Max. jussu editi, quem omnes Parochi apud se habeant, & frequenter perlegant. Si quis ritus in eo præscriptos graviter immutabit, addendo quidquam, vel detrahendo, aut

alio

alio libro utetur, is toties subjaceat pœnæ suspensionis a Divinis.

Caveant præterea omnes, ne contra Decretum Innocentii XI. sequantur unquam in Sacramentis administrandis opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, in usu scilicet materiæ, formæ, & intentionis. Si tamen urgente necessitate gravissima materiam dubiam, cum certa haberi non possit, adhibere opus sit, eo in casu conditionali forma utendum erit. Quod autem ad intentionem attinet, etsi virtualis sufficit, curent tamen in ipso ministerio etiam actualem.

Claves omnium Sacramentorum, & Sacramentalium sub tuta custodia asserventur a Parocho ipso.

Ab ipso etiam Parocho, quoad ejus fieri potest, suis Parochianis Sacramenta ministrentur; eo vero impedito ab ejus Capellano, seu Cooperatore a Nobis approbato: aliis Sacerdotibus sive Secularibus, sive Regularibus præter Eucharistiæ in Ecclesia, & Pœnitentiæ iis, qui a Nobis approbati fuerint, nunquam Sacramentorum administratio permittatur, nisi in necessitate, aut impetrata prius licentia a Nobis seu Vicario nostro in hac Urbe, extra vero a Vicariis Foraneis.

Cum autem nefas sit pura ab impuris tangi, propterea quicunque Sacramenta administrant, caveant ne manus ad ea admoveant peccato mortali obnoxii; sed prius conscientiam emundent Sacramentali Confessione, vel Contritione, si Confessarii copia desit, & ministrandi Sacramenti necessitas adsit.

Atque ut internæ cordis præparationi externus item cultus respondeat, Sacramentorum Ministri veste talari, superpelliceo, & stola ejus coloris, qui Sacramento ministrando congruat, semper induantur; eademque ratione Parochi curent, ut vestes, & vasa sacra,

aliaque omnia ad singulorum Sacramentorum usum, & ministrationem adhibenda Ecclesiasticæ munditiei nitore ac puritate colluceant.

Pro Sacramentorum ministerio nihil prorsus quovis modo, & titulo exigatur, aut petatur.

Moneantur demum fideles crebris cohortationibus, ut Sacramentorum divinos effectus considerantes pure, devote, ac frequenter ad ea recipienda accedant, neque modo conscientiæ munditiem afferant, verum exteriori etiam corporis habitu & gestu humilitatem & reverentiam præseferant.

## CAP. VI.

### *De Sacramento Baptismi.*

ET quoniam primum omnium sanctificari, & mundari oportet lavacro aquæ in verbo vitæ, sine quo nemini in Regnum Cœlorum patet aditus, monendi sunt Patresfamilias, ut Liberos suos ad Ecclesiam quantocyus deferri, & solemnibus ceremoniis baptizari curent, neque unquam longius intervallum quam trium dierum a natali eorum præterire sinant. Præterea hortandi sunt, ne infantem profuso vestium luxu, & pompa in Sacro fonte abluendum tradant.

Nomina infantibus ne imponantur, quæ turpia aut ridicula sunt, quæve Gentilium & impurorum hominum memoriam referant; sed illorum tantum, qui Sanctorum numero adscripti sunt, ut pueri cum ætate processerint, & eorum exemplis ad pie vivendum excitentur in terris, & patrocinio protegantur in Cœlis.

Nemini liceat quemquam sine nostra scripta facultate intra domesticos parietes baptizare, neque ante solis ortum, aut post ejus occasum, nec alibi nisi in

Ecclesiis, in quibus sunt fontes baptismales, nisi in necessitate; instante vero mortis periculo sicut ubique & omni tempore, ita & ab omnibus conferri hoc Sacramentum possit, & debeat, servato tamen juris ordine. Mulier enim si mares adsint ( nisi pudoris ratio aliter aliquando exigat ) Laicus item præsente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote Baptismi administrationem sibi non adsciscat. Quamquam Obstetrices, quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sunt, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minus peritus sit, ipsæ baptizent. Parentes autem omnino caveant, ne Liberos suos baptizent, aut in baptismo suscipiant sine manifesta necessitate. Quod si articulo mortis propriam prolem baptizaverint, aut susceperint, quando non reperitur alius qui baptizet, suscipiatve, nullam inter se Conjuges contrahunt cognationem, quæ Matrimonii usum impediat.

Et quia sæpe accidit necessitas ista conferendi Baptismatis, idcirco mandamus Parochis in vim sanctæ obedientiæ, non solum ut in Concione doceant materiam, formam, ac ritum legitimum baptizandi, verum etiam quotannis Obstetrices super iis examinent, & super illis casibus, qui in Rituali Romano tit. *de baptizandis pueris* referuntur, & si quæ obtusioris ingenii, aut vinosæ, aut non omnino sanæ mentis fuerint, eas ab obstetricio removeri mandamus. Quæ autem probatæ fuerint; cum baptizabunt, curent, quoad fieri potest, ut vel duæ, vel una mulier testis intersit, quæ in baptizando verba a se prolata audiat, ut Parocho perquirenti de Baptismo recte administrato constet.

Ac si domi instante mortis periculo Baptizatus vixerit, omnino intra nonum ab ortu diem, vel cum primum per valetudinem licebit, eum in Ecclesia Pa-

rentes sistant, ut a Parocho, facta de collato Baptismo diligenti perquisitione, si rectam Baptismi formam adhibitam ei fuisse constiterit, relicti ritus ac ceremoniæ Baptismi expleantur; si dubium de illius Baptismo oriatur, denuo sub conditione baptizetur; qua tamen in re animadvertant Parochi, ne quemvis sine delectu ita baptizent, cum Baptismi conditionalis forma ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittatur, de quibus re diligenter perquisita dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint; aliter vero nunquam fas sit, etiam sub conditione, Baptismum alicui iterum administrare.

De Expositis autem servetur declaratio S. Congregationis Concilii 1724. hoc est, ut baptizentur sub conditione in omnibus casibus, excepto duntaxat si schedula apposita certitudinem de collato baptismo faciat. Parochi vero aliique si quem baptizaverint, quem certo sciant expositum iri, testimonium certum collati a se Baptismi apponant, & apponi curent.

Ad Patrinos vero quod attinet, cum ii sint Fidei & vitæ Christianæ pro puero sponsores, & fidejussores, tales deligantur, qui huic officio sint idonei. Idcirco a Patrinatu repellantur Hæretici: quocunque modo de hæresi suspecti: Infames: Criminosi: qui præcepto Paschalis Communionis non satisfecerint: qui prima Doctrinæ Christianæ elementa nesciunt: Impuberes: Sacramento Confirmationis nondum consignati: Clerici omnes: præsertim vero Regulares.

Quod autem Tridentina Synodus ob vitandam multitudinem cognationis spiritualis præcepit, ut unus tantum, sive Vir, sive Mulier, vel ad summum unus, & una Baptizatum de Sacro Fonte suscipiant, id ut fiat, caveant diligenter qui baptizant, ut, si plures ejusdem sexus a Parentibus designati Baptismo assistant,

stant, unus tantum baptizandum tangat, qui solus cognationem contrahat, alii omnino abstineant.

Commoneat vero Parochus opportune Patrinos officii sui, h. e. ut, quos susceperint in Baptismi Fonte pueros, eos curent, si opus fuerit, & Fide Christiana & bonis moribus institui. De cognatione quoque spirituali eos admonebit.

Habeant præterea Parochi sub diligenti custodia decentem, & bene compactum librum, in quo nomina Baptizatorum ( item Parentum ac Patrinorum eorum ) diem, annum tum nativitatis, tum collati Baptismatis, Ministrum denique juxta formulam Ritualis Romani accurate, statimque, si fieri potest, describant: nunquam vero ultra quatuor dies hoc facere differant sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ. Et cum, necessitatis causa domi Baptismo ministrato, postea in Ecclesia Patrini ad Catechismum arcessuntur, Parochi in Baptizatorum libro distincte scribant, & qui domi ad Baptismum, & qui in Ecclesia ad Catechismum & Exorcismum Patrini fuerint; idque propter diversitatem impedimenti cognationis spiritualis, quæ ex solo Patrinatu ad Catechismum nulla hodie contrahitur.

Omnes in propria Parochia baptizentur; nec ullus Parochus audeat, nisi in necessitate, alienæ Parochiæ infantes baptizare.

Judæi & infideles adulti a nemine baptizentur, nisi Nobis consultis, nostroque scripto permissu. Si tamen mortis periculum immineret, & Judæus aut infidelis Baptismum enixe peteret, aut, antequam sensibus destitueretur, petiisset, aut denique esset Catechumenus, eum tunc a quocunque baptizari volumus.

Postremo, quod pii instituti, sanctæque consuetudinis est, id ad usum ubique restitui, & introduci Nos

in Domino cupientes jubemus Parochos adhortari Fideles, ut quotannis anniversariam Baptismi sui diem, tum pia recordatione characteris, quo tunc insigniti fuerunt, & sponsionis quam fecerunt, tum Orationibus, & Eleemosynis, aliisque piis operibus, pro sua quisque facultate, devote celebrent.

## CAP. VII.

### *De Sacramento Chrismatis.*

QUi in Baptismo renati sunt ex aqua & Spiritu Sancto, consignari sacro Chrismate, & ad pugnam adversus hostes roborari debent. Ideo Parochi Populum suum sæpe, ac potissimum sub id temporis, quo sacrum Chrisma a Nobis ministrabitur, doceant hujus Sacramenti dignitatem, vim, & effectus, ne quis sit, qui aut illud suscipere negligat, aut indigne suscipiat, aut iterum suscipere præsumat. Item de Patrinis moneant, Virum unum ad Marem, & Fœminam unam ad Fœminam suscipiendam eligi debere, in quibus eadem, quæ in Patrinis Baptismi, postulentur, cum par sit utrorumque conditio. Sicut autem in Baptismo, sic etiam in Chrismate ab hoc Officio excludimus quoscunque in Ordinibus seu Minoribus seu Sacris constitutos, Regulares maxime. Affinitas autem aut Consanguinitas non impediat, quominus eum, quem propinquitate sanguinis quis attingit, in Confirmatione tenere possit, modo non sit Pater, aut Mater, Maritus, aut Uxor.

Expedit etiam, ut, cum mane hoc Sacramentum administratur, illud a jejunis suscipiatur. Nullus vero infans septennio minor, nisi de prævia nostra licentia, ad sacrum Chrisma offeratur.

Pa-

Parochi, quemadmodum de Baptismo constitutum est, habeant certum librum, in quo majori qua possunt diligentia, nomina Confirmati, Parentum ejus, & Patrini describant.

## CAP. VIII.

### *De Sacramento Eucharistiae.*

SEquitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quo Christianos per Baptismum renatos, & in Confirmatione adversus hostes armatos, ali præterea ac sustentari oportet, ne in misera hac ad Cœlestem Patriam peregrinatione deficiant. Ut igitur fidelis Populus admirabili huic Sacramento divinos honores tribuat, & gratiæ fructus inde capiat uberrimos, hæc in præsenti statuimus.

### *De asservanda Eucharistia.*

I. TAbernaculum marmoreum vel ligneum, in quo Sanctissima Eucharistia conservatur, panno serico albo intrinsecus circumvestitum undique sit; conopeo etiam decenti pro Ecclesiarum facultate, locique dignitate contectum; porro in Altari ita firmatum aptatumque, ut nec ipsum moveri loco, & Sanctissima Eucharistia inde commode depromi possit; diligenter præterea ac perpetuo sit obseratum firma clavi, eaque argentea & cordulæ sericæ rubeæ inserta cum flocco filis sericis & aureis intexto.

II. Quinque saltem Particulæ consecratæ, & ubi major est Populi numerus, plures perpetuo adserventur in Pyxide tota argentea, intra inaurata, nitida & bene clausa operculo item argenteo, nulla tamen fibula

annexo, ut, cum ministranda Eucharistia sit, illud a Pyxide separetur. Pyxis autem in supposito corporali locetur, eaque sit a summo ad imum operta velo aureo, aut argenteo, aut alio ornatu splendido, omnino nitido & mundo.

III. Intra custodiam seu tabernaculum nihil omnino sit præter Sacramentum Eucharistiæ, non Reliquiæ, non aliæ res.

IV. Particulæ Sacramenti renoventur hyeme saltem singulis quindecim diebus, æstate vero octavo quoque die.

V. Lampas diu, noctuque ante Altare Corporis Domini ardeat.

VI. Duas Pyxides unaquæque Parochialis Ecclesia habeat, alteram forma majori ad usum sacræ Communionis Populo in Ecclesia ministrandæ: alteram minori ad Venerabile Sacramentum ad Infirmos deferendum: præterea Ostensorium argenteum pro agendis Processionibus, & exponenda sacra Hostia, perlucido vitro, seu crystallo a fronte, & a tergo clausum, & lunulam habens inauratam, in qua Sanctissima Eucharistia ita inseratur, ut possit commode aperiri, & fragmenta colligi, si qua forte ibi relicta sint.

## CAP. IX.

### *De ministranda Eucharistia & frequenti Communione.*

I. IN Ecclesia Sanctissima Eucharistia ministretur tum Clericis, tum Laicis, ad pectus communicantis supposita mappa nitida. Singulis singulæ formæ præbeantur, non aliæ aliis grandiores, sed omnibus æquales, & consuetæ. Si plures fuerint communicantes,

Sa-

Sacerdos eis Eucharistiam semper ex Pyxide præbeat, non ex Patena. Eucharistia post meridiem in Ecclesia ne ministretur.

II. Vinum Communicantibus ad purificationem, sicubi hoc in usu est, non exhibeatur Calice, vel alio vase, quod ad sacri Calicis formam factum sit.

III. Facinorosi homines: Concubinarii publici: Blasphemi: qui in odio proximi cum scandalo perseverant: & alii id genus publice criminosi, etiamsi a peccatis se absolutos esse affirment, a Communione arceantur, quoad ipse Parochus, qui eorum curam gerit, eos vitam & mores reipsa emendasse perspexerit.

IV. Parochus in Paschate Eucharistiam ipse suis Parochianis præbeat, nisi ob frequentem multitudinem necesse sit alium Sacerdotem adhiberi. Si quis in Paschate hoc Sacramentum percipere in sua Parochiali Ecclesia omiserit, caveant Parochi, ne vel nimia facilitate, vel alio prætextu eum prætereant, quin agant cum illo, sicut Ecclesia constituit. Ut vero sciant, qui Communionis Paschalis præcepto non satisfecerint, ante ipsum Pascha in singulis Familiis exquirant numerum eorum, qui ætatis, ac rationis ad Communionem sufficientis, atque idoneæ sunt; & in libro Familias & numerum eorum, qui communicare debent, conscribant, juxta quem numerum præparent schedulas proprio seu Parochiali Sigillo informatas, & ministrata Communione, statim singulis singulas tradant. Deinde transacto die octavo Paschatis a singulis domibus repetant singulas schedulas, & ex opposito libro cognoscant qui non communicarint.

V. Ne occasione sacræ Communionis etiam in Paschate ministratæ vel ministrandæ eleemosyna (pelvicula aut vasculo exposito ullove alio modo directe vel indirecte) quæritetur.

VI. De frequentia Communionis suscipiendæ primum Parochis, & Confessariis omnibus inculcamus illud Sancti Joan. Chrysostomi, *Communionis tempus non esse Festum atque celebritatem, sed conscientiam puram, vitamque a vitiis repurgatam;* deinde subjicimus decretum sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum S. Mem. Innocentio XI. approbante, & jubente editum Romæ 12. Februarii 1679.

*Etsi frequens quotidianusque Sacrosanctae Eucharistiae usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut saepius illam percipiendi aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit:* Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent. *Idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia Spiritus alienationes; multae econtra gratiae, & Dei dona Parvulis concessa, quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui.*

*Et propterea quoad negotiatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus; qui ex conscientiarum puritate, & frequentiae fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.*

*In conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex con-*

*consensu ad tempus ut vacent orationi, eos serio admoneant, tanto magis ob Sacratissimae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conveniendum.*

*In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana sacrae Communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut Parochos seu Confessarios sibi decernendum putent. Illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis & praeparationis modo rarius aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet.*

*Itidem Moniales quotidie sacram Communionem petentes admonendae erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent; si quae verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur.*

*Proderit etiam praeter Parochorum, & Confessariorum diligentiam opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum habere, ut cum Fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive Laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicunque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini Judicii formidine discant, Cœlestem*

men-

*mensam, in qua Christus est, revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem praeparationem accingere.*

VII. Parochi neminem permittant in ætate idonea constitutum diutius differre primam communionem; ideoque in Quadragesima per singulas parochiales familias delectum habeant Puerorum, Puellarumque hujusmodi, ut eos in singulas hebdomadas, certis ad docendum præstitutis diebus, non solum accurate examinent, sed instruant etiam quam diligentissime, quæ dignitas, suavitas, vis, & præstantia sit hujus Sacramenti, & quæ quotque sint ad illud digne suscipiendum necessaria.

### *De deferenda ad aegrotos Eucharistia.*

I. POpulum sæpissime Parochus cohortetur, ut frequens semper ( & qui possunt ) cum luminibus, atque omni animi pietate ac religione Venerabile Sacramentum comitentur; ad quod ut magis ac magis excitentur, crebro, cum occasio tulerit, & semper, ubi ad Ecclesiam (delata ad Infirmos Eucharistia) redierint, Indulgentias explicabit a Paulo V. Innocentio XI. & XII. tam pium tamque sanctum Officium exequentibus concessas.

Ad hunc finem laudabilis erit cujusque Parochi cura & diligentia erigendæ Confraternitatis Corporis Domini ubi nulla sit, atque ubi est modis omnibus fovendæ, iis scilicet Indulgentiis, quæ a Summis Pontificibus hujusmodi Sodalitatibus concessæ sunt, explicandis.

II. Vesperi pridie illius diei, quo deferenda est ad ægrotum Eucharistia, & mane Campanæ majoris certo signo Christi fideles admoneantur, & convocentur.

III.

III. Præmoneat Parochus ægrotantis domesticos, ut ejus cubiculum ab omni sorde purgent, & amota omni profana re, præsertim vero tabulis & imaginibus minus decentibus, mensam parent, exornentque nitida mappa, Cruce, Candelabris, & Candelis cereis saltem binis cum vase aquæ. Ubi per egestatem hæc domestici ægrotantis præparare non possunt, suppleat Parochus aut de suo, aut de Fabrica Ecclesiæ.

IV. Sacram Eucharistiam ipse Parochus deferat: eo impedito Sacerdos ad audiendas Confessiones, si fieri potest, approbatus.

V. Qui Eucharistiam defert, non superpelliceo solum & stola, sed Pluviali etiam & velo humerali indutus sub umbella incedat, ubi per facultates Ecclesiæ, & per locorum temporisque rationem commode fieri potest. Tum præterea, ubi adsint, Clerici adhibeantur Clericali habitu, & superpelliceo induti, qui una cum deferente, humili ac pressa voce, Psalmos, religiosasque preces recitent, præcedente sonora Campanula, & Laterna aurata majore, & aliis quatuor minoribus hinc, & illinc prope deferentem. Afferatur etiam præter Corporale, & Purificatorium parvus Thronus ad modum expositionis ad ponendam Pyxidem in thalamo Infirmi.

VI. Ægrotantibus etiam sine mortis periculo, sed sacræ Eucharistiæ frequentius sumendæ desiderio flagrantibus, iis præsertim, qui dum integra valetudine sunt, frequenti Sacramentorum usu salutariter se pascunt, spiritualis illa consolatio, religiosa præparatione ab iisdem adhibita, non denegetur: imo cohortabitur Parochus ægrotantes diuturno morbo, ut sacram Communionem diu non differant, communicentque præsertim præcipuis anni recurrentibus Festivitatibus.

Pro

Pro Viatico ministrabitur, cum probabile est eam ægrotum amplius sumpturum non esse.

Ante lucem nemini deferatur sine justa, & gravi causa.

## *De exponenda Eucharistia.*

UT major Sanctissimo Sacramento honor adhibeatur, qui interdum ( ita hominum natura est ) frequentiori usu, & consuetudine imminui potest.

I. Nemini in posterum liceat, neque Regularibus, etiam in eorum propriis Ecclesiis, sanctissimam Eucharistiam publice adorandam exponere, nisi ex causa publica, quæ probanda a Nobis vel a Vicario nostro sit in hac Urbe, in aliis vero locis a Vicariis Foraneis, quandocunque ad Nos commode veniri non possit.

II. Liceat tamen in Ecclesiis tum nostræ Jurisdictionis, cum Regularium publice exponere Sanctissimam Eucharistiam Dominicis, & diebus festis per annum, ubi id veteri consuetudine institutum fuerit; item in Adventu Domini nostri Jesu Christi, & a Dominica Septuagesimæ usque ad Feriam quartam majoris Hebdomadæ, iis diebus, & locis, quibus ex eadem veteri consuetudine solet.

III. In Festo Corporis Christi, ac per totam Octavam publice exponi Sanctissimam Eucharistiam in Cathedrali, Collegiatis, Parochialibus, & Regularium Ecclesiis non solum permittimus, sed etiam optamus. Alias annuas perpetuasque sanctissimi Sacramenti publicas expositiones institui & fieri sine nostro Decreto in quibuscunque nostræ Diœcesis Ecclesiis etiam Regularium omnino prohibemus.

IV. Cum nimbi, procellæ, grandines, aut alia calamitas ingruerit, & quandocunque privata ex causa,

velut morbo alicujus, aut alia re simili, sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, e tabernaculo ne extrahatur, sed in Pyxide aut Ostensorio velato collocetur in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum sex saltem cereis luminibus ab assistente Sacerdote stolam & superpelliceum induto.

V. Sacra indumenta nigri aut violacei coloris in exponenda sanctissima Eucharistia contra rubricas ne adhibeantur.

## CAP. IX.

### *De Sacramento Pœnitentiae.*

PŒnitentiæ Sacramentum ut maximum est, nec secus lapsis post Baptismum, quam Baptismus nondum regeneratis, ad salutem necessarium; ita monet Officii nostri pastoralem sollicitudinem, ut, quæ maxime ad illum tum pie suscipiendum, tum prudenter ac scite ministrandum putemus conducere, ea in hac Synodo diligentissime sanciamus.

Primum igitur Parochis præcipimus, ut in hujus Sacramenti explicatione frequenter, & accurate versentur, & quæcunque ad illud ac singulas ejus partes pertinent, ita docere studeant, ut non solum ea fideles perfecte intelligant, sed etiam, juvante Domino, reipsa pie & religiose præstanda sibi persuadeant. Ostendant etiam, nullam rem fidelibus adeo curæ esse debere, quam ut frequenti peccatorum Confessione animam studeant expiare, atque eum sibi Sacerdotem Confessionis Ministrum stabilem deligere, quem vitæ integritas, doctrina, & prudens judicium commendet.

Ecclesiaticum de annua Confessione, & Paschali Communione præceptum quotannis initio Quadragesimæ expo-

ponant, admoneantque Populum de damnatis ab Alexandro VII. & Innocentio XI. duabus propositionibus, quarum altera est: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae*. Altera: *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem*.

De pueris autem, cum Confessionis lege nemo adstrictus sit antequam rationis usum habeat, neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita sit; universe iis sacramentalem Confessionem indicimus, cum primum inter bonum, & malum discernendi vim habent, & cum in eorum mentem dolus cadere potest. Optimæ tamen consuetudinis erit, Pueros, & Puellas etiam sex tantum annorum accersere, ut paulatim a prima ætate edoceantur, atque hujus Sacramenti usu & cognitione assuescant. Sed sacramentalis absolutio eis non tribuatur, in quibus nec materia solet reperiri, nec talis rationis usus, ut huic Sacramento idonei sint.

Præter autem illud annuæ Confessionis præceptum salutariter etiam cautum est, ut Christi fideles de peccatis confiteri debeant quotiescunque sive a morbo sive ab alia causa mors ipsis impendeat. Id igitur non solum volumus Populo diligenter significari, sed etiam præcepto gravissimo omnes, & quoscunque nostræ Dioecesis Parochos, & Curatos adstringimus, ut in sua quisque Parochia perpetuam adhibeant diligentiam, quo ægrotantes, cum primum decubuerint, pernoscant, atque eos, etiam non vocati, statim invisant, & ad Poenitentiæ Sacramentum suscipiendum paternis, gravibusque consiliis, monitis, ac præceptis inducant. Medicos etiam commoneant, ne officio suo desint, sed Ecclesiasticas leges in curatione infirmorum observent. Sæpe denique in Concione acerbissimam illam multo-

rum

rum deceptionem exagitent, qui ( rati ægrotantes metu mortis citius interire, si Sacramentum Pœnitentiæ iis proponatur ) usque eo necessariam medicinam spiritus & conscientiæ ægrotis protrahunt, dum ii, amissis corporis sensibus usuque rationis impedito, extremo spiritu conflictantur, & eorum quæ in vita admiserint nihil plane recordantur: *dum enim sanitas corporis posthabita salute animae perperam expetitur, utramque miserrime perdi.*

Prægnantes quoque mulieres admoneant Parochi, ut proximis ante partum diebus confiteantur: puerperii autem tempore eas non invisant, nisi urgente necessitate.

Quoniam vero hujus Sacramenti munus ad solos Sacerdotes, qui aut propriam, aut delegatam jurisdictionem habent, pertinere Ecclesia Catholica docet; ideo præcipimus, ut nullus Sacerdos sive Secularis, sive Regularis, quacunque dignitate & privilegio insignitus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, audiendis Confessionibus fidelium, etiam Sacerdotum, etiam de solis peccatis venialibus, se ingerere ullo modo, & quovis prætextu audeat ( excepto mortis articulo ) nisi aut Parochus sit, aut a Nobis, vel Vicario nostro prævio examine, si videbitur, approbatus facultatem obtinuerit. In mortis autem articulo, si approbatus Confessarius desit, quilibet Sacerdos valeat omnes, atque ab omnibus omnino peccatis, etiam reservatis, & a censuris quoque absolvere, ea tamen conditione ac lege, quoad censuras attinet, ut qui tunc absolutus est, si postea e periculo evaserit, Superiori quam primum se sistat: aliter in easdem censuras relapsum se intelligat.

Monemus autem ac denunciamus, neminem a Nobis, nisi quem matura ætas, illibata & exemplaris vi-

ta, doctrina sufficiens, & maxime omnium prudentia distinguat, approbatum iri ad audiendas Confessiones. Qui ad secularium Confessiones audiendas admittentur, ea sola facultate Monialium quoque Confessiones excipere non valeant.

Coadjutores, seu Cooperatores a Parochis seu Ecclesiarum Rectoribus ad audiendas in suis Parochiis seu Ecclesiis fidelium Confessiones exhibiti & a Nobis probati, ad alias Parochias, seu Ecclesias non demigrent sine nostra licentia sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto: possint tamen in solemnitatibus, & cum alia justa causa persuaserit, in aliis quoque Parochiis, & Ecclesiis de consensu Parochorum, seu Rectorum Confessiones excipere; imo si quis eorum quemquam in aliena Parochia, seu Ecclesia sine ipso Parochorum seu Rectorum consensu absolverit, illum quidem graviter peccare, & a Nobis pro sui peccati ratione punitum iri edicimus, absolutionem tamen validam esse declaramus, modo Pœnitens ipse conscius non fuerit defectus ipsius consensus Parochi, seu Rectoris. Sacerdotibus tamen, ut possint a quocunque approbato a Nobis Confessario absolvi, & ubicunque etiam sine Parochorum seu Rectorum consensu, facultatem damus.

Regulares qui ad audiendas Confessiones approbari a Nobis voluerint, primum testimonium probitatis & disciplinæ a suis Superioribus afferant ( quo in testimonio Superiores videant, ne quid testificando admittant, quod religiosæ conscientiæ fraudi sit ) deinde se examini subjiciant, inventique a Nobis tum doctrina tum prudentia idonei approbabuntur; approbati vero extra Ecclesias sui Ordinis Confessiones non excipiant, nisi ægrotantium; imo ad hos cum primum vocati fuerint, teneantur ( sub pœna suspensionis ab audiendis

Con-

Confessionibus ) certiores facere verbo, vel scripto proprios ipsorum Parochos, ut hi quoque suo muneri satisfaciant.

Et quia facultas audiendarum Confessionum ad annum vel menses a Nobis concedi solet, Confessarii transacto illo tempore aut a Confessionibus audiendis omnino abstineant, aut curent eamdem facultatem sibi confirmari, seu prorogari intra octo dies ad summum, quibus elapsis nec confirmata sibi, aut prorogata facultate, deinceps sub pœna excommunicationis non possint, neve audeant hoc Sacramentum ministrare.

Quod ad examen pertinet, declaramus, a Nobis universos & singulos Confessarios, etiam Regulares, quotiescunque, & quandocunque Nobis videbitur, ad illud revocatum iri.

Hortamur vero Confessarios omnes quam possumus vehementissime in Domino, ut tanto muneri digne & utiliter obeundo frequenti oratione, & studio se pares reddere pro viribus curent; ut ad audiendas Confessiones non inani gloria, non lucri cupiditate, non curiositate, non denique ullo humano affectu ducti; sed pii, graves, & humiles, ac salutis fidelium procurandæ studio unice inflammati accedant; & in primis unusquisque caveat, ne Sacramentum pœnitentiæ ministret mortifero peccato inquinatus, & censura Ecclesiastica, aut alio canonico impedimento irretitus; ne, dum aliorum vulneribus medetur, ipse telo peccati se conficiat.

In sacro Tribunali sedeant omnes cum habitu congruo, Regulares quidem cum eo, quem ex Regulæ præscripto Festis diebus in Choro ad divina Officia celebranda adhibent, ac stolam violacei coloris superinduant: Seculares autem semper cum veste talari, superpelliceo, stola violacei coloris, & clericali biretto;

nec vero unquam stando, sed in tribunali judices sedendo audiant pœnitentes cujuscunque gradus, & in quacunque dignitate constitutos.

Fœminarum confessiones non audiant nisi ( excepto ægrotationis casu ) in Ecclesia, & in patenti loco, non in Capellis, non in Ecclesiæ vestibulis, non in Sacristiis, non denique extra sedem Confessionalem, neque ante pedes & in faciem, sed ad latera, neque ante ortum, aut post solis occasum: ægrotantium aperto ostio cubiculi.

Confessiones etiam Virorum, maxime vero Puerorum in Ecclesiis, & in Confessionali audiri decet. Quapropter in singulis Ecclesiis, ubi Confessiones audiri solent, tot sint Confessionalia, quot sunt Confessarii, eaque in aperto, & apto loco disposita. Confessionalium fenestella utraque occlusa sit lamina ferrea ita foraminibus perforata, ut Confessarius audire quidem confitentis vocem, faciem autem videre nullo modo possit. Sit autem supra fenestellas extrinsecus imago Crucifixi, intrinsecus autem pagina Casuum reservatorum. Nullæ vero capsulæ, loculive nulli colligendæ eleemosynæ causa sive Confessario, sive Ecclesiæ, imo ne in pium quidem ullum aliud opus in Confessionali struantur, aut in loco Confessionalibus proximo affigantur, apponanturve. Atque his super omnibus Parochorum, & Vicariorum Foraneorum conscientiam gravissime oneramus.

Jam vero Confessarii in spiritu lenitatis & mansuetudinis Peccatores excipiant, neque quemquam subterfugiendi laboris causa audire recusent; si quem tamen ab alio justa de causa rejectum detexerint, ne ita facile exaudiant; ut quod a cæteris ædificatum est, per ipsos non destruatur: imo, cum videbitur & expedire cognoverint, ad proprios Parochos ire suadeant.

Si

Si Pœnitens Clericalis Ordinis sit, sine superpelliceo accedat; si laicus sit & arma gerat, ea deponere jubeatur; si cum immoderato corporis cultu sese sistat, paterne moneatur, ut in pœnitentiæ signum ad tantum Sacramentum accedat cum humilitate non solum mentis, sed etiam habitus.

Ante Confessionem perquirant generatim statum Pœnitentis, si eum minime norint. Rudes homines tum de præcipuis Fidei Mysteriis interrogent, tum confitentes adjuvent in enumerandis peccatis, & peccatorum circumstantiis exponendis; sed caveant tamen ne curiosis inutilibusque interrogationibus Pœnitentes detineant, ac præsertim ne Pueros, & Puellas, cæterosque rudes de eo, quod ignorant, interrogando instruant, aut ipsimet in laqueum incidant tentationis.

Cum de immanibus flagitiis, atrocioribusque criminibus se quis accusat, eum & æquo animo audiant, & spe veniæ sustentent, & vultu atque oculis ita compositi sint, ut nullo penitus signo inspectantibus indicare possint, se gravitate fortasse sceleris alicujus commoveri.

Observent etiam, an præteritas Confessiones repetere sit necesse: & omnino ita prudenter se gerant, ut neque alicujus celebritatis & magni concursus gratia præpropera festinatione, aut multitudinis Pœnitentium pertæsi oscitanter, nimisque dissolute hoc Sacramentum ministrent, neque ullius metu, aut gratia officio suo desint. Quapropter caveant, ne quem absolvant, qui nolit vel odium, inimicitiamque deponere, vel restituere pro facultate alienum, vel pia Legata persolvere, vel violatæ illorum, de quibus detraxerit, famæ, & existimationi satisfacere, vel illata a se per injustitiam damna resarcire, vel a statu peccati mortalis paratus non sit discedere & occasionem peccandi

vitare. Nec ista præstare spondenti facile fidem adhibeant, præsertim si alias in Confessione id ipsum promiserit, & præstare tamen neglexerit. Quicunque vero in peccato cum aliorum scandalo versatur, non prius absolvatur, quam ab ipso peccato se amoverit, & scandalum quantum potuerit reparaverit.

Confessione audita, pro qualitate, gravitate, & numero peccatorum, proque illius, qui ea admiserit, conditione, & statu cohortationes monitionesque paterne adhibeant, atque correptiones etiam, reprehensionesque graves, prout opus esse viderint.

Si quis prorsus imparatus se sistat, nec verum dolorem propositumque ostendat, is minime absolvatur; sed tamen salutaribus consiliis, & bonis operibus præscribendis juvetur, dimittaturque quam humanissime, ne vel desperet, vel a Confessione abhorreat.

Qui in excipiendis Confessionibus deprehenderit Pœnitentem cujuscunque ætatis, sexus, & conditionis ab aliquo Confessario, sive Seculari, sive Regulari, ad inhonesta sive secum, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis sollicitatum fuisse, ut sciat, quomodo se gerat in re tali, ipsam Bullam Gregorii XV. die prima mensis Septembris 1622. publicatam hic subjicimus.

*Universi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, Cœlesti dispositione gerentes sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque majori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod Evangelica scripta nos admonent, sale infatuato non sit, in quo saliatur, & ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

*I. Quoniam autem a Romanis Pontificibus Praedeces-*

*cessoribus Nostris quibusdam in locis provisum fuit, ut impium, ac nefandum scelus, quod non solum inter Christi fideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confessiones deputatus, sacrosancto Pœnitentiae Sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cœlesti medico infernalis veneficus, ex Patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur: idcirco Nos ea, quae his perniciosissimis Diaboli insidiis arcendis certis in locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.*

*II. Alias siquidem a fel. rec. Pio Papa IV. Praedecessore Nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet: Pius Papa IV. Venerabili Archiepiscopo Hispalensi in Regno Hispaniae haereticae pravitatis Inquisitori Generali. Cum, sicut nuper non sine animi nostri molestia accepimus, diversi Sacerdotes in Regnis Hispaniarum, atque etiam in Civitatibus, & Diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias in audiendis Confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiae in actu audiendi Confessiones abutantur; nec illi, & qui id instituit Domino Deo, & Salvatori Nostro Jesu Christo injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt Confessiones, alliciendo, & provocando, seu allicere, & provocare tentando, ac loco earum per Sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviorum peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Divinae Majestatis offensam, animarum perniciem, & Christi fidelium scandalum non modicum;*

*Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica recte sentiunt, Sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis injuriam faciant, Fraternitati tuae, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios, a te deputandum, seu deputandos, contra omnes, & singulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœcesum de praemissis quomodolibet diffamatos, tam Seculares, quam quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum Ordinum Regulares cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & praeeminentiae existant, tam super praemissis, quam super Fide Catholica, & quid de ea sentiant, diligenter inquiras, & juxta facultatum tibi contra haereticos, aut de haeresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos juxta excessuum suorum qualitatem, prout juris fuerit punias, eos etiam si, & pro ut de jure fuerit faciendum, debita praecedente degradatione, secularis Judicis arbitrio puniendos tradendo. Non obstantibus &c. Dat. Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Pontificatus nostri Anno secundo.*

*III. Igitur, ut litterae praedictae perpetuis futuris temporibus, & ubique locorum inviolabiliter observentur, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, ac de Consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, praeinsertas litteras hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, Apostolica auctoritate tenore praesentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis in-*

vio-

*violabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, illasque non solum in praedictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusvis Christiani orbis partibus firmiter, & inviolabiliter observari praecipimus, & mandamus.*

*IV. Ac praeterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit, statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tum Seculares, quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cujuscunque dignitatis & praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecunque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediate, seu occasione, vel praetextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut loco quocunque, ubi Confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio Sanctae Inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et praeterea omnes haereticae pravitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis Christiani in suis quemque Diœcesibus, & Territoriis per has nostras litteras, etiam privative quoad omnes alios specialiter, & perpetuò Judices delegamus, ut super his contra praedictos simul, vel separatim in omnibus pro ut in causis fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones,*

pri-

*privilegia, consuetudines, & decreta diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis, suspensionis ab executione Ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae, & passivae (si Regulares fuerint) exilii, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque ulla spe gratiae, aliasque pœnas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita praecedente degradatione, Curiae Seculari puniendos tradant.*

*V. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, Ecclesiae Dei tam perniciosum, remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus praesumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo judicandi, & Curiae Seculari, ut praefertur, reum tradendum esse, pronunciandi.*

*VI. Non obstantibus omnibus, quae dictus Praedecessor Noster in suis literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque.*

*VII. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, ut praefertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis praedictis. Quod si hoc Officium praetermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes ut supra: iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant.*

*VIII. Volumus autem, ut praesentium transumptis,*

*etiam*

*etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.*

*IX. Quodque eaedem praesentes literae, seu illarum exempla ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Florae affixae, omnes ita arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.*

In irroganda satisfactionis pœna, Confessarii prudentiam, pietatem, & justitiam adhibeant, simulque habeant rationem status, conditionis, sexus, & ætatis Pœnitentium. Operæ autem pretium erit iis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto, qui Pœnitentiales vocantur, constitutæ fuerint, ut suorum scelerum gravitatem inde magis agnoscant, & tanto diligentius a peccatis sibi caveant, quanto in iis pœnitentiis mitigandis hodierna die benigniorem experiuntur Ecclesiam. Videant tamen Confessarii, ne illa Ecclesiæ benignitate, & potestate Clavium abutantur, ut pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponant, *consuentes pulvillos sub omni cubito manus, & facientes cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas*: meminerintque gravissimæ illius sententiæ Tridentini Concilii: *Sacerdotes, qui peccatis connivent, & indulgentius cum Pœnitentibus agunt levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes effici.*

Si interdum ob publicam offensionem publica pœnitentia præscribenda fuerit, quam Pœnitens refugiat ac deprecetur, non erit facile exaudiendus: & si opus erit, ad Nos, aut ad Pœnitentiarios remittatur. Pro

pec-

peccatis tamen occultis quantumvis enormibus Pœnitentia publica ne imponatur.

Pœnitentias pecuniarias, & restitutiones incertorum, quæ fieri debent Ecclesiis aut Pauperibus, sibi aut suis Ecclesiis Confessarii non applicent; immo ne hujus quidem pecuniæ distribuendæ curam ipsi sine gravi causa sibi sumant, ut omnis quæstus suspicio vitetur.

Injuncta salutari pœnitentia consuetas preces, & formam absolutionis in Rituali Romano præscriptas, submissa voce, distincte tamen & graviter pronuncient. Nec vero extra casus in eodem Rituali significatos ullam partem omittant earum precum, quæ ante & post absolutionem dicendæ præscribuntur.

A casibus aut censuris Summo Pontifici aut Nobis reservatis nullus Confessarius nec Secularis, nec Regularis sine specifica facultate absolvat ( excepto mortis articulo ) sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; imo quantumvis facultatem habeant Regulares, etiam Mendicantes, absolvendi a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo tamen ii possint etiam absolvere ab iis, quos in nostra Diœcesi ipsi Nobis reservamus. Quicunque facultatem a Nobis habuerint absolvendi a Reservatis, ea utantur ad ædificationem, & non ad destructionem; ideoque non omnes promiscue absolvant, sed quos videbitur ad Nos, aut ad Pœnitentiarios remittant.

Pœnitentes alienæ Diœcesis reos peccati ipsorum Ordinario reservati, Confessarii nostri ne absolvant, si in fraudem illius reservationis ad se eos venisse cognoverint. Eadem regula contineri nostræ Diœcesis Fideles declaramus, si quis eorum peccato aliquo hujusmodi irretitus ad alienæ Diœcesis Confessarios confugiat.

Qui-

Quibus potestas facta fuerit vota commutandi, ea in alia majora pietatis opera vel Deo gratiora, vel saltem quæ tantidem valeant, commutent, ponderantes sumptus, labores, molestias, & omnia denique incommoda, quæ Pœnitentes perpessuri essent, si votum, quod sancte conceperant, reipsa præstarent.

Ad hunc igitur modum toto hujus Sacramenti ministerio rite peracto, religiosissime provideat Confessarius, ne quid in eo auditum ullo prætextu etiam urgentissimæ necessitatis, sive directe, sive indirecte, verbis, signis, scripto, aut alio quolibet modo revelet sub pœnis in sacris Canonibus constitutis. Quod si ipsi Pœnitentes quandoque, quoniam ita expediat, consenserint, ut de dictis in Confessione loqui Confessarius possit, hic tamen quam cautissime se Confessarius gerat; caveat vero summopere, ne eorum ad hanc facultatem consensum ulla unquam importunitate eliciat; sed & a spontaneis, ac liberrimis ipsis, & non nisi in casibus perquam gravibus modeste exquirat, ac recipiat.

Curent præterea Confessarii, ut Pœnitentes certum, ac firmum Confessarium habeant, a quo nisi in magna necessitate non recedant; siquidem animæ solet non minus obesse Confessariorum mutatio, quam Corpori Medicorum: prohibemus tamen Confessariis omnibus in vim Sanctæ obedientiæ, ne Pœnitentem voto aut juramento obstringant a se nunquam discedere, & a suis præceptis, voluntate, & nutibus pendere.

Cæterum cum alia multa sint, quæ Confessarii ad munus suum recte obeundum diligentissime animadvertere, & curare debent, neque tamen hic omnia complecti possimus; ea Confessarii a probatis libris de conscientiæ casibus, & asceticis excipere quotidie non prætermittant; maxime vero ad Concilii Tridentini, &

Apo-

Apostolicæ sedis decreta, Catechismi Romani doctrinam, & Ritualis præscripta, atque ad nostras hasce Constitutiones se penitus conformare studeant: Canones pœnitentiales, ac de damnatis a Romana Ecclesia propositionibus Libros a probatis Doctoribus conscriptos assidue legant.

Sed cum nonnulla sæpe accidant, eaque gravia, ac difficilia, quæ aut propter circumstantias, aut propter alia non ita facile solvi a quocunque possunt, nolint Confessarii in hujusmodi Casibus ipsi judicare, sed Pœnitentiarios adeant, aliosque pios viros, & doctos, ut horum consilio tutius, quid decernendum sit, videant, & si opus fuerit ad Nos etiam recurrant. Quod enim Josaphat Judæ & Jerusalem Judicibus, id Nos etiam atque etiam Confessariis nostris inculcamus: *Videte quid faciatis; non enim hominum exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit; sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum .... Confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiscum.*

### *Casus Nobis reservati.*

*I.* INcestus *puberum in primo, & secundo Consanguinitatis gradu, & in primo Affinitatis: item ex spirituali cognatione.*

Quicunque incestum admiserit in primo Affinitatis gradu, is privatur etiam jure petendi debitum conjugale; nec facultas a Nobis concedenda Confessariis absolvendi ab hoc casu valebit ad dispensandum super privatione hujus juris, sed toties quoties casus iste contigerit, ad Nos seu Vicarium nostrum veniendum erit.

*II. Qui contractis Sponsalibus ante coierint, quam Matrimonium inter eos celebratum sit.*

*III. Puberum Sodomia: item Bestialitas.*

*IV. Quicunque tum Vir, tum Mulier, etiam praeter Matrem, & Nutricem, in lecto infantem, anno non expleto, sine cunis aut repagulo tenuerit, si periculum suffocationis animadverterit.*

*V. Omnis blasphemia haereticalis: item simplex, si aut publica, id est coram decem hominibus, aut ex consuetudine fuerit.*

Quam consuetudinem definientes declaramus, eos in hunc casum incurrere, qui ante ultimam Confessionem plus una vice, & postea octies se hujusmodi peccato obstrinxerint.

*VI. Sortilegia, divinationes, incantationes, veneficia, maleficia, denique omnis magia, & superstitio cum invocatione Daemonis sive expressa sive tacita.*

*VII. Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia hujus generis Eucharistia, & quacunque re sacra, & Sanctorum Reliquiis abusus fuerit.*

*VIII. Qui falsum in judicio testimonium dixerit, aut ibi legitime interrogatus veritatem occultaverit cum gravi damno alicujus, etiamsi damnum secutum non sit.*

*IX. Qui Virginem, aut honestam mulierem rapuerit, aut per vim vitiaverit.*

*X. Qui abortum quocunque modo procurarit, re, consilio, auxilio, imperio, aut cum posset & deberet, non prohibuerit.*

Quod si abortus fiat fœtus animati, quicunque illum procurarit, incidit non solum in Casum reservatum, sed etiam in Excommunicationem ex lege Gregorii XV. in Constitutione *Sedes Apostolica*; a qua non possit absolvi ab iis Confessariis, qui a Nobis facultatem habuerint absolvendi a peccato procurati abor-

ortus, sed toties ad Nos erit veniendum, quoties casus iste contigerit.

*XI. Homicidae voluntarii: qui homicidium mandaverint: qui operam suam, aut consilium ad homicidium praestiterint: item qui Parentes percusserint, percutive imperarint.*

*XII. Omnis actus luxuriae Confessarii cum sua Pœnitente, & Pœnitentis cum suo Confessario, sive saepius, sive semel tantum Pœnitentiae Sacramentum Pœnitens ab eo susceperit.*

Nullus autem Parochus, aut Confessarius, quantumvis facultatem a Nobis seu Vicario nostro impetraverit absolvendi ab hoc casu, Pœnitentem suam, criminis sociam & hoc eodem secum casu irretitam, absolvere possit.

Ignorantia Reservationis neminem excuset, quominus si peccatum aliquod ex reservatis admiserit, revera illud reservatum sit; permittimus tamen, fœminas, quæ reservationem ignorantes in I. II. III. IV. VI. & XII. casum incurrerint, prima vice absolvi a quocunque approbato a Nobis Confessario, modo non sit ejus culpæ socius. Quæ vero post primam absolutionem in eadem peccata reciderint, non absolvantur nisi ab iis, quibus facultatem Nos tribuerimus absolvendi a reservatis. Edicimus autem omnibus Confessariis, ut antequam eas prima vice ab his peccatis absolvant, de hac reservatione commoneant.

## CAP. X.

### *De Sacramento Extremae Unctionis.*

SAcramentum extremæ Unctionis, quod totius Christianæ vitæ consumativum existimatum est a Patribus, ministretur adultis quocunque tempore, & hora

ra morbo aliquo, aut senio laborantibus propeque morituris; at non pueris, qui nullum adhuc rationis usum habent, neque peccata admittunt, quorum reliquias sanare hujus Sacramenti remedio opus sit; neque amentibus, qui ab ipso ortu nunquam rationis compotes fuerint; secus autem si ægrotus antequam in amentiam aut lethargum incidisset, hujus Sacramenti particeps fieri voluerit, aut pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum illud petiturum, si mente adhuc integra esset: eademque ratio habenda erit eorum, qui apoplexia, ictu fulminis, aliove repentino casu oppressi omni sensu & ratione privantur. Excommunicatis, & Impœnitentibus omnino denegetur.

Quamvis autem hoc Sacramentum administrandum sit ægrotis, cum in extremum vitæ discrimen, & periculum adducti esse videntur; tamen non eo usque differendum est, dum ægrotus omnes animi, & corporis sensus amiserit. Imo cum constet, ad uberiorem hujus Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere; si ægrotus liniatur, cum in eo adhuc integra mens & ratio viget, fidemque & religiosam animi voluntatem adhibere potest, Parochis præcipimus, ut omnes curæ suæ creditos frequenter hortentur, ne sint hac in re tardiores, aut negligentiores, si quis inter eos periculose laborabit: imo crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani, & impia opinione abducere studeant, qua plerique sinistre de hujus Sacramenti virtute sentiunt, perinde ac si mortem ægrotis acceleret; cum fide Catholica certum sit, Deum virtute hujus Sacramenti non animæ tantum spiritualem gratiam, verum etiam corpori sanitatem, si quidem profutura sit, conferre: cujus propterea curam ne post extremam quidem unctionem deserendam esse doceant.

Noverint præterea Parochi, & eorum Vicarii sui muneris esse, ut non expectent, dum rogentur de hoc Sacramento conferendo, sed sua sedulitate hac in re præveniant ægrotantium de vita periclitantium petitiones. Itaque quod Concilio Agathensi cautum est, id unusquisque eorum præstare curet, ut Missæ Sacrificio peracto, si quos in Parochia sua ægrotos habet, frequenter, atque adeo si fieri potest quotidie invisat, eisdemque præstet omnia, quæ sunt Parochialis sollicitudinis Officia. Si fidelium aliquis Parochi incuria e vivis excesserit sine hujus unctionis perceptione, iste & rationem Deo reddet, & gravi a Nobis pœna plectetur.

Vasculum Sacri Olei sit argenteum cum convenienti operculo, & munde asservetur a Parochis non domi, sed in Ecclesia, ubi alia Sacra Olea asservantur; nisi si quibus Nos propter eorum domicilii a Parochiali Ecclesia distantiam illud domi asservare facultate in scripto data concesserimus: quibus autem id permittemus, ii fenestellam in ipsa domo in loco decenti, ac tuto construant, panno serico investiant, valvis, & clave claudant, ut & in honore, & recte Sanctum Oleum custodiatur.

Parochus ipse hoc Sacramentum ministret, neque alii Sacerdoti præterquam in necessitate suas partes committat.

Infirmus non ante ungatur, quam peccata confessus sit, & Sacram Eucharistiam sumpserit; nisi quem de repente morbi vis occuparit, ut neque confiteri, neque communicare possit, ut ante dictum est.

Ministraturus induat in Ecclesia superpelliceum, & stolam violacei coloris, deinde vas accipiat Olei Sacri, quod sacculo serico violaceo apte inclusum cordula serica collo suspendat; non brachio appensum, non sinu, vel loculis comprehensum ferat.

Co-

Comitem sibi adjungat Cooperatorem suum, aut alium Sacerdotem, aut saltem Clericum, si adsit, superpelliceo indutum, quocum, dum in via est, septem Psalmos, & alias religiosas preces ex animo pieque recitet. Curet etiam afferri secum Rituale Romanum, Crucem, & Cereum laterna inclusum, idque per Clericos, si adsint; sin minus, per Ecclesiæ Custodem.

Quod si idem Vasculum Sacri Olei ob præsentissimum mortis periculum, vel itineris longinquitatem una cum Sanctissimo Viatico ferendum erit; tunc ab alio Sacerdote, vel Diacono, si commode haberi possit, superpelliceum stolamque pariter induto, & Parochum cum Venerabili Eucharistia præeuntem subsequente occulte deferatur. Laico homini deferendum ne tradatur.

Prope ægrotantis lectum, ubi per loci temporisque commoditatem licuerit, mensa parva paretur, & mappa candida sternatur, super qua sit bombyx, seu gossipium, aut stuppa ad abstergendas unctiones, micæque panis, & vas aquæ ad abstersionem digitorum, ac manus ministrantis lavandas. Sit etiam Crux, aqua benedicta cum aspersorio, & una aut plures Candelæ cereæ.

Vas Olei Sancti, dum ungitur ægrotus, ipse hujus Sacramenti minister propria manu teneat, vel alius Sacerdos, aut Clericus; Laici ne tangant.

In administranda sacra Unctione Ritus omnes serventur, quos Rituale Romanum præscribit. Domestici vero, & quos tum adesse contigerit, Deum orent ex animo, & ejus misericordiæ laborantis vitam, & salutem omni studio commendent.

Linito ægroto bombyx, & micæ abstersionis non in ea domo, sed in Ecclesia comburantur, & in sacrarium immittantur.

Quod si per errorem aliud Oleum quam quod Infirmorum est ad ægrotum ungendum unquam adhibitum fuerit; ut erratum emendetur, Olei Sacri, quod proprium Infirmorum est, unctio eidem adhibeatur Sacramenti forma repetita.

Et ut hoc provideatur, sint vascula Sacrorum Oleorum singula cujusque Olei nominibus insignibus, & perspicuis impressa, non operculo, sed circum latera.

In una autem eademque ægrotatione extrema Unctio ne iteretur. Si post susceptam hanc Unctionem ægrotus convaluerit, quoties postea in tale vitæ discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei adhibeatur: item in morbis quibusdam diuturnis, puta hydrope, aut phthisi, si ob mortem impendentem quis unctus inde evaserit, ac postea ex eodem morbo in alium similem casum, & periculum mortis, quod moraliter aliud a primo videatur ac diversum, rursus inciderit.

Ubi vero hoc officium Parochus pie, & accurate præstiterit, si ægrotus adhuc vivit, aut animam agit, ne eidem præsens adesse, omniaque salutaria officia præstare omittat. Si adesse ipse aliquando non poterit necessariis Parochialis Curæ occupationibus aliis impeditus, tunc extrema pietatis officia a Sacerdote, si quis alius ibi est, aut pio Clerico, aut certe devoto & instructo laico, sollicite præstari moribundo curet.

Mortuorum singulorum Nomina, Cognomina, Patriam, Familiam, Parentes, & si fuerit conjugatus, seu conjugata, Conjugem etiam, ac diem mortis, mensem, annum, & locum sepulturæ Parochi in certum librum, quem in Sacristia custodiant, referant intra quatuor dies ab eorum funere sub pœna suspensionis a divinis ipso facto.

CAP.

## CAP. XI.

### *De Sacramento Ordinis.*

MAgnum est, quod in Sacramento Ordinis tractatur, & arduum, quod Ordinis potestate in Ordinatos per Episcopum confertur. Quod si diligenter, attenteque perpenderent, qui in Clericalem militiam solemni sanctoque Ecclesiæ ritu adscribuntur, næ illi paratiores accederent, aut non accederent. Cum igitur fieri possit, ut e maxima ad Ecclesiasticum statum hodie accedentium multitudine alii nihil cogitantes de dignitate vitæ hujus, alii vel nobilitandæ domus, vel defugiendorum laborum, & ex Ecclesiasticis reditibus victum sibi parandi, imo lautius vivendi, atque rei familiaris augendæ causa, hoc eligant vitæ genus; pauci vero ea solum causa, ut Deo, & Ecclesiæ serviant: Nos pro Officii pastoralis nostri munere, ut neve indignis Ordines conferantur, neve vitio suscipientium dignitas eorum minuatur, neve *quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*, hæc de sacrorum Canonum jure, deque Pontificum Sanctionibus, Patrumque regulis sumpta in hac nostra Synodo præscribenda duximus.

Ac primum Parochis omnibus nostræ Dioecesis mandamus, ut die Dominico proxime antecedente quatuor stata jejunii Tempora, quibus Ordinis Sacramentum conferri a Nobis solet, non solum solemne illud jejunium hujus etiam rei causa institutum esse denuncient; verum etiam in sua quisque Parochiali Ecclesia publicas supplicationes, & Litanias pie ac religiose habeant; tum præterea diligenti admonitione Populum ad illud excitent, ut illis ipsis statis diebus frequens

 in

in oratione versetur: ut, Dei Sanctorumque ope piis Fidelium precationibus impetrata, & Nos Ordines iis conferamus, qui Ecclesiæ utiles futuri sint, & qui Ordines suscipient, majorem in dies progressum faciant in vitæ, morumque sanctitate, religione, doctrina, & prudentia, quemadmodum *decet Ministros Mysteriorum Dei*. Ipsos etiam, qui ad Ordinis Sacramentum promovendi erunt, jubemus, Minoribus quidem Ordinibus initiandos per tres dies, Majoribus autem per decem dies in spiritualibus Exercitiis ante versari sub Religioso Sacerdote a Nobis ad id approbando.

Si quis aliqua culpa, impedimentove Canonico tenetur, ad sacram Ordinationem contra Canonum præscriptum non accedat. Nos sane diligentiam omnem adhibebimus, ne quis fraude, vel dolo in sacram Ordinationem irrepat. Si quis vero ejusmodi impedimento occulte illigatus, nec Deum, & Ecclesiasticas pœnas metuens arcere se a Sacramento Ordinis prorsus nolit, id saltem Nobis plane patefaciat, antequam se sacris Clericalis militiæ Mysteriis obtrudere audeat.

### *De Adscribendis in Clericalem militiam.*

CUm permultum referat, maximam initio diligentiam & delectum adhiberi in adscribendis ad Clericalem militiam, nemo Clericalem habitum induat sine Nostro concessu, & quidem in scriptis dato.

Quicunque autem se in hunc Ordinem cooptari desideraverit, multo ante, quam se Nobis sistat ad hanc facultatem postulandam, se in proprii Parochi, vel alius spectatæ probitatis, & doctrinæ Sacerdotis disciplinam tradat, a quo diligentius ad Clericalis disciplinæ, vitæque religiosæ instituta erudiatur: Ecclesiam frequentius adeat, jejunet, oret ad impetrandum spiri-

ri-

ritum sapientiæ & intellectus, ut sciat, quæ sit spes vocationis suæ: nec sibi quisquam ad Clericalem habitum poscendum aditum fore speret, nisi hæc ante se præstitisse docuerit.

Hæc præterea de se rite testata Nobis faciet. Primum, se legitimo Matrimonio natum esse, & sacro Chrismate confirmatum.

Tum a Parocho, & a Ludimagistro, aut ab eo, quem in quovis studiorum genere audit, obsignatas litteras afferat, quibus de vitæ suæ disciplina, indole, moribusque, ingenio, & litteris testatum fiat, ac scientiæ spe talem se Nobis ostendat, ut aliquando ad Majores Ordines promoveatur.

Præterea se sponte sua, & ea solum causa, ut Deo & Ecclesiæ in Clericali statu serviat, non autem Parentum importuna persuasione, neque ob commoda temporalia, aliamve causam non sanctam hoc vitæ genus suscipere; spem denique afferre, se in Clericalis Ordinis disciplina permansurum, & Ecclesiæ Ministrum utilem fore. Hoc vero testimoninm obsignatum a proprio Parocho aut ab eo Sacerdote habeat, cui se in disciplinam tradiderit, postquam Clericalem statum eligere decrevit.

### *De Adscriptis in Clericalem militiam.*

IMpetrata a Nobis facultate, ne ultra mensem differat Clericalem habitum induere, statimque ille cujuscunque gradus, ætatis, & conditionis fuerit, se Parochiali Ecclesiæ, in cujus finibus habitat, vel alii ( de licentia tamen proprii Parochi, aut Nostra seu Vicarii nostri ) se addicat, quo Dominicis, Festisque singulis diebus sedulo ad divina Officia celebranda conveniat: idque maxime in solemni Missæ Sacrificio,

itemque in Vesperarum Officio, & in Processionibus. Doctrinæ item Christianæ scholas frequentet, quod in Cap. *de Doct. Christ.* constituimus. Ecclesiam autem, cui semel addictus fuerit, sine Nostra facultate, vel proprii Parochi non mutet, nisi Beneficio Ecclesiastico in aliam adscribatur.

Singulis saltem mensibus, ac solemnioribus Ecclesiæ Festis animam Pœnitentiæ Sacramento expiet, & Sanctissima Eucharistia reficiat.

A nimia cum Secularibus hominibus familiaritate abstineat: secularibus item negotiis ne se implicet: seculi pompas atque oblectamenta fugiat: ne per vicos, & plateas vagetur. In ecclesiasticorum hominum pietate præcellentium consuetudinem se det: hauriat vitæ spiritualis studia, atque exercitationes, & addiscat sanctas illas virtutes christianas, quarum Officiis Ecclesiastici arctius quam laici homines devinciuntur: in omni denique incessu, statu, gestu, vultu, religiosæ vitæ institutum præseferat.

Atque hæc Clericalis vitæ tyrocinia sub proprio Parocho, aut sub alio pio Sacerdote ita, uti præscripsimus, poni ab omnibus volumus ac mandamus. Qui non fecerit, & se fecisse hæc non probaverit, is ad ordines nunquam promovebitur.

Nulli autem Clerico liceat a Diœcesi nostra abesse, ne studiorum quidem causa, nisi facultate in scripto a Nobis obtenta. Quicunque vero ea impetrata in alienam Diœcesim proficiscentur, regulas nostris Constitutionibus de habitus ratione, & frequentia Sacramentorum Clericis præscriptas, & reliqua decreta ad honestam Clericalis vitæ disciplinam pertinentia diligenter observent.

## *De initiandis prima Tonsura & Minoribus Ordinibus.*

QUamquam primæ Tonsuræ septem annorum ætas constituta est; non tamen expedit ea passim initiare Pueros, antequam ii de suo statu maturius deliberare sciant, & probabilis de eorum ad Ordinis Sacramentum divina vocatione fieri conjectura possit. Idcirco Nos, nisi aliter fieri aliqua non levis causa persuaserit, neminem ad eam admittemus ante annum suæ ætatis decimum quartum.

Ordines autem Minores, vel uno die omnes, vel per temporum interstitia, ut magis Ecclesiæ nostræ expedire judicabimus, ad præscriptum Tridentini Concilii conferemus.

Et quoniam Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter investigari & examinari jubent Ecclesiæ Canones, hæc de se afferat testimonia quicunque se prima Tonsura, vel Minoribus Ordinibus initiari volet:

A Cancellario nostro de facultate induendi habitum Clericalem: tum de prima Tonsura: & deinceps de Ordine, quem proxime susceperit.

A proprio Parocho de ætate, statu, & conditione: de habitu Clericali ad præscriptum nostrarum Constitutionum, post mensem ab impetrata facultate illius induendi, a se assidue gestato: de vitæ suæ disciplina, moribusque: de fuga sæculi: de consuetudine cum Ecclesiasticis hominibus.

A Magistro scholæ suæ de suo in litterarum studiis progressu.

Quod si Magistrum scholæ mutarit, aut in aliena Parochia habitarit, eadem testimonia habeat a Parocho

etiam,

etiam, & Magistro, in cujus vel disciplina, vel Parochia sex menses ante Ordinationem fuerit.

A Parocho, & Confessario (quem certum ac firmum habeat) seu a Præfecto Ecclesiæ (cui adscriptus est) de Confessionis, & sacræ Communionis frequentia, de assiduitate Doctrinæ Christianæ, de servitio Ecclesiæ a se diligenter præstito in divinis Officiis.

Qui Clericali Tonsura, & minoribus Ordinibus initiati fuerint, ii quemadmodum ad Ordinum gradus ascendent, sic etiam in corde suo ascensiones disponant, ut benedictionem largiente Domino eant *de virtute in virtutem, & videatur Deus Deorum in Sion.* Quapropter tum ea, quæ induentibus Clericalem habitum præscripta a Nobis sunt, omnia diligenter præstare studeant, tum versentur quotidie in recitatione Officii Beatæ Mariæ Virginis; legant præterea ac perlegant has nostras Synodales Constitutiones, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, & libros aliquos de vitæ spiritualis rationibus; ac sciant in examine ad Subdiaconatum, cæterosque majores Ordines experimentum de se sumptum iri, an ejusmodi libros assidue versarint.

Etsi autem minores Ordines a nostris Clericis, quos certis Ecclesiis addici, cum primum Clericalem habitum induerint, jussimus, exercendi sedulo sunt, quod a sacra etiam Tridentina Synodo vehementer Episcoporum curæ, & diligentiæ commendatum fuit, ne vani & otiosi in Ecclesia Dei hujusmodi sacri Ordinis gradus ab Hæreticis traducerentur; Exorcistis tamen exorcizandi Officio omnino interdicimus.

De

## *De promovendis ad Sacros & Majores Ordines.*

ETsi etiam singulis majoribus Ordinibus a Concilio Tridentino sua est ætas præscripta, Subdiaconatui annus vigesimus secundus, Diaconatui vigesimus tertius, & Sacerdotio vigesimus quintus; monente tamen eodem Concilio, ne singuli in ea ætate constituti ad hos Ordines promoveantur, sed digni duntaxat, & quorum probata vita senectus sit; nemo se speret ad sacros Ordines a Nobis promotum iri, antequam vitæ, & morum integritate commendetur, litterisque, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructus probe sit.

Ut autem erroribus, & multiplici fraudi quantum in Domino possumus hac in re occurramus; ejusdem Concilii Tridentini Decretis inhærentes, neminem nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum ad Majores promovebimus, nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ aliud postulaverit.

Quicunque vero ad singulos majores Ordines erunt promovendi, jubemus ipsos mense ante Ordinationem tum proprium adire Parochum, tum eum, in cujus finibus postremo habitarint, quibus suum desiderium significent, litterasque testimoniales ab iis exposcant. Parochis autem mandamus, ut eorum, qui promoveri volent, nominibus & desiderio inter Missarum solemnia per trinos festos dies promulgato, de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, disciplina diligenter inquirant, litterasque de his testimoniales accurate, & fideliter conficiant, & jurejurando firmatas, complicatas, obsignatasque ad Nos mittant.

Et quia non decet eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut mi-

nus honestam quæstus rationem exercere, ut victum decentem habeant; idcirco, quod eodem Tridentino Concilio statutum est, neminem, quamvis idoneum moribus, scientia, & ætate, ad sacros Ordines promovebimus, nisi prius legitime Nobis constiterit, eum Ecclesiasticum Beneficium, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.

Ad Titulum Vicariæ temporariæ, aliorumque Beneficiorum amovibilium, aut Mansionariæ, seu Capellaniæ, quæ neque Nostra, neque Decessorum nostrorum auctoritate ordinaria in Titulum Ecclesiastici Beneficii fuerit erecta, neminem contra juris formam promovebimus. Verum si Capellaniæ, aut Mansionariæ ejusmodi ad vitam conferantur, annuosque reditus tot, ac tales habeant, ut, detractis oneribus quibuscunque, remaneant Proviso fructus annui, & liberi Ducatorum Venetorum quinquaginta, earum Titulus ad Ordinationem satis erit.

Ad Titulum Patrimonii seu Pensionis non ordinabimus, nisi illos, quos necessitas aut utilitas Diœcesis nostræ postulaverit.

Patrimonium vero, cujus Titulo ad sacros Ordines se promoveri Clerici nostri petierint, ex bonis stabilibus constet, & sit pretii ad minimum mille Ducatorum Venetorum, ut, detractis omnibus & quibuscunque oneribus, fructum reddat annis singulis Ducatorum Venetorum quinquaginta. Quare eligantur viri in hac re periti duo, qui bona in Patrimonium tradenda describant, designatisque confinibus mensurent, & æstiment justo, & vero pretio, non summo, & commentitio: fructus item annuos eorundem bonorum veros ac reales, non imaginarios exprimant omni fraude, & partium studio rejecto; ac postremo jurent hæc omnia a se fideliter, & diligenter acta fuisse secun-

dum

dum hanc nostram Constitutionem, quam pariter jurent, se antea legisse, & probe intellexisse.

Porro hoc Patrimonium vel ab ipso initiando constituatur, vel ab ejus Ascendentibus, vel Consanguineis, vel Affinibus primo, & secundo gradu.

Constituatur autem ex bonis liberis ejus qui constituit, adeoque hic juret in Cancellaria nostra bona illa sua esse: a se pacifice possideri: item nulli divisioni aut hypothecæ, evictioni, & restitutioni obnoxia esse, non dotis, non fideicommissi, non Legitimæ, non denique alio vinculo obstricta, nec censu, aut ære alieno gravata.

Ne quis vero per hoc juramentum conscientiæ laqueus injiciatur, declaramus primo, non excludi a Patrimonio bona fideicommissa, quoties ei, cui Patrimonium constituitur, tantundem eorum hæreditate contingat, quantum in Patrimonium assignatur, idque etiam de bonis dotalibus & Legitima intelligi volumus: secundo, Patrimonio constituendo illud tantum æs alienum obstare, & juramento hoc comprehendi, cui solvendo assignata in Patrimonium bona sint speciali hypotheca obstricta, aut, si generali hypotheca obstricta sint, tamen tot bona non supersint assignanti, quot illi solvendo sufficiant.

Præterea & qui Patrimonium assignat, & cui assignatur, uterque jurejurando affirmet, nihil inesse hic doli, & fraudis, nullumque esse eo nomine inter eos contractum initum, neque pactum, aut promissum factum retrocessionis, aut restitutionis. Tum ipse, qui assignat, juret se nihil in posterum acturum, quo minus initiandus assignato sibi Patrimonio vere, & reapse utatur ac fruatur.

Ad hæc volumus, de omnibus & singulis constituti patrimonii bonis per tres festos dies publice tum in pro-

pria

pria ipsius initiandi Parochia, tum in ea, intra cujus limites aliqua pars eorum bonorum posita est, denunciationem fieri inter Missarum solemnia ex formula infra præscripta; harumque denunciationum testimonium ad Nos afferri.

Si quis ad statum vocatus Clericalem Beneficio Ecclesiastico caruerit, & nulla bona nec ipse, nec ipsius Consanguinei, & Affines ad constitutam a Nobis annui patrimonialis reditus summam pervenientia habuerint; non ideo tamen a studiis, & a proposito, ac formandis pro Ecclesia moribus cesset: quem enim Deus ad hoc munus vocabit, dabit ei etiam, unde vocationi respondere possit; & cum Ecclesiæ utilitas aut necessitas postulaverit, potestatem Nos ei faciemus, ut Patrimonium ab aliis etiam præter Consanguineos, & Affines suos accipiat.

Clericos nostræ Diœcesis a parte Imperii ultra montes ad Titulum Mensæ, quemadmodum veteris earum regionum consuetudinis est, Nos etiam Ecclesiæ nostræ necessitate aut utilitate postulante sacris Ordinibus initiabimus.

Ut autem a fraudibus in confingendis Ordinationum Titulis abstineant omnes, declaramus Clericum, qui adhibito dolo confictoque Titulo Nos decipiet, esse ipso jure suspensum & carere Ordinum exercitio.

Beneficium, aut Capellaniam, seu Mansionariam ad cujus Titulum Clericus ordinatus fuerit, ne resignet, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii, aut Capellaniæ, seu Mansionariæ Titulum sit promotus; neve ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere honeste possit; aliter facta resignatio nulla sit.

Similiter qui ad Titulum sui Patrimonii ordinatus fuerit, non ipsum, non partem ejus vendere, aut alteri

teri quocunque modo cedere, vel obligare possit: imo ne fructus quidem ac reditus, nisi in annos singulos.

Susceptutus autem sacrum Subdiaconatus Ordinem non ante ad examen accedat, quam vitæ rationem, cui se suscipiendo illum sancte obstringit, diu multumque ante perpenderit, scrutatusque sit semetipsum, an perpetuæ continentiæ donum a Deo se speret habiturum; ac proinde re tota accuratius deliberata puriori mente, ardentiorique animi voluntate ad rem tantam accedat.

Porro eadem de proxime suscepto Ordine, de ætate, vita, moribus, disciplina, ingenio, litteris, & scientia testimonia afferant ii, qui ad Majores Ordines promoveri volent, quæ minoribus Ordinibus initiari postulantibus præscripta sunt; imo quanto plus præstant majores Ordines Minoribus, tanto etiam luculentiora de se istos testimonia afferre æquum est.

Sed hi afferant illud etiam testimonium, trinas denunciationes ex præscripta infra formula tum in propria Parochia, tum in illa, in cujus finibus postremo habitarint, publice diebus Festis inter Missarum solemnia de se factas esse.

Diaconi, & Subdiaconi in suis Ordinibus se exerceant: diebus saltem Dominicis, & solemnibus sacram Communionem percipiant.

Ad sacrum denique Presbyteratus Ordinem non assumemus nisi eos, qui pie & fideliter in ministeriis præscriptis sese gesserint; quique non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Nobis videbitur, ministraverint; sed etiam ad Populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad ministranda Sacramenta idonei per examen diligens comprobentur: atque ita pietate, & castis moribus conspi-

cui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis possint expectari.

Sacerdotio initiatus Missam ante non celebret, quam a Nobis facultatem scripto impetrarit: quæ nemini dabitur, qui non fuerit & ad præscriptos in Missa Ritus peragendos diligenter instructus, & ab Ecclesiasticarum ceremoniarum Præfectis approbatus.

In Missæ novæ celebratione prohibemus omnes illiberales quæstus, qui alicubi fieri solent: item nimias ac nimio studio, & Convivarum concursu instructas comessationes, tripudia, choreas, damnatosque a jure Canonico ludos. Si hæc fieri novus Sacerdos procurarit, aut cum potuerit non impedierit, is plectetur suspensione a divinis arbitrio nostro.

Quicunque impetratis a Nobis litteris Testimonialibus, & Dimissoriis Ordines ab alio Episcopo susceperit, mense post susceptionem, aut longiore temporis spatio pro loci distantia in eisdem litteris præscribendo, testificationem Ordinis suscepti scriptam, signatamque Nobis afferat.

Regulares nec sine Canonicis Testimonialibus, nec sine diligenti examine ad Ordines unquam promovebimus.

### *Forma Testimonii pro illis qui Clericalem Habitum poscunt.*

*EGo juratus testor de sua Clericalis vitae ineundae Causa, utrum scilicet Deo tantum & Ecclesiae inserviendi gratia, an suorum vel exhortationibus importunis, vel minis, vel metu, an familiae honestandae, rei familiaris augendae, secularium laborum defugiendorum, aliamve ob causam quamlibet non veram & sanctam Clericalem statum eligat, quam di-*

*diligentissime fieri potuit a me interrogatum, & examinatum fuisse: cumque is constanter respondisset, se ad Clericalem vitam nulla ex his, aliisque similibus causis impelli, sed ea duntaxat, ut Deo, & Ecclesiae serviat, dimissum tamen, jussumque redire in tempus certum, ubi tamen interea enixissime se Deo commendasset, ejusque opem ac lumen ad suum dirigendum iter jejuniis, & precibus, sanctissimis etiam Confessionis, & Eucharistiae Sacramentis suscipiendis implorasset, iterum interrogatum eadem diligentia, & quantum humanae imbecillitati licet, exploratum, atque perspectum esse, Deo tantum, & Ecclesiae inserviendi gratia Clericalem vitam ingredi statuisse. In quorum fidem &c.*

*Forma Testimonii de vita, & moribus pro iis, qui ad Ordines promovendi sunt.*

*EGo juratus juxta Synodales Constitutiones testor, Clericum, in constitutum, a die Mensis ad diem Mensis in mea Parochia habitantem, & meae Parochiali Ecclesiae adscriptum semper Clericalem habitum & Tonsuram ad normam Synodalium Constitutionum gestasse; nunquam noctu vagatum esse; a seculi pompis, & oblectamentis, & a nimia cum secularibus familiaritate abstinuisse; imo Ecclesiasticorum hominum consuetudine usum; ac praeterea Ecclesiasticis Officiis, Missae praesertim, & Vesperis assidue interfuisse, sui Ordinis functiones, cum debuit, obiisse, Doctrinam Christianam diligentissime docuisse, statis per Synodales Constitutiones diebus sacram Communionem pie, & religiose sumpsisse: denique vita moribusque se pro dignitate Clericatus gessisse. Ita me Deus adjuvet. In quorum fidem &c.*

Quod si Clericus ad Ordines sacros promovendus sit, addat Parochus, a se denunciationes quoque personales inter Missarum solemnia factas esse juxta formam infrascriptam.

*Formola della Pubblicazione di quelli, che debbono promuoversi a ciascuno degli Ordini sacri.*

*SI notifica alla Carità vostra, qualmente figliuolo di desidera di farsi promuovere nelle prossime Tempora al sacro Ordine del . Però se alcuno di voi sa, che egli abbia alcuna opposizione, ovvero impedimento Canonico, che lo renda inabile al detto sacro Ordine, o che egli non sia di buoni costumi, e vita esemplare* ( in iis autem denunciandis, qui ad Subdiaconatum promovendi sunt, hæc addantur: *o se alcuno sa, che egli abbia promessa alcuna di Matrimonio* ) *è tenuto per zelo di Carità, e per obbligo di coscienza farlo sapere a Monsignor Illustrissimo e Reverendissimo Patriarca, o al di lui Vicario Generale, ovvero a me, e volendo sarà egli tenuto secreto: acciò non si conferisca tanto ministero a persona indegna, e inabile al Culto Divino contro la retta mente di S. S. Illustrissima e Reverendissima, e la santa disposizione de' Canoni.*

*Formola di denunziare il Patrimonio.*

*SI notifica a tutti, che figlio di della Città Terra Castello Villa desidera di farsi promuovere al sacro ordine del Suddiaconato a Titolo del suo Patrimonio stabilito, e fondato sopra Campi posti nel Territorio di tra i Confini di sopra Livelli fondati sopra casa situata*

*in*

*in e però chiunque avesse qualche opposizione, o pretesa intorno detto Patrimonio, o parte d'esso debba in termine di giorni farla sapere caritativamente alla Cancellaria Patriarcale, ovvero a me: perchè non sia lo stesso promosso agli Ordini sacri contro le disposizioni del sacro Concilio di Trento, e le Constituzioni Sinodali di questa Diocesi.*

Quoties autem has denunciationes Parochi facient, toties Populum monebunt, quantum & divini Cultus, atque Ecclesiæ, & Populi ipsius intersit, nihil eorum celari neque de Patrimonio, neque de natalibus, vita, & moribus, quæ Promovendos dedeceant.

### *Forma Testimonii a Ludimagistro.*

*EGo juratus juxta Synodales Constitutiones testor ab anno, vel mense ad annum, vel mensem in mea schola versatum esse & habitu & moribus Clerico dignis; progressum in litterarum studiis fecisse. Ita me Deus adjuvet. In quorum fidem &c.*

Parochorum autem, & Ludimagistrorum omnium conscientiam gravissime oneramus, & perjurii pœna obstringimus, non solum nequid falsi de vita moribus & studiis Promovendorum Clericorum testentur; verum etiam Deo magis, quam hominibus placere studentes, ne quid Nobis vel coram, vel per litteras significare omittant, quod illos contra Clericorum institutiones peccasse cognoverint, certi, nemini sua testimonia nota fore.

## CAP. XII.

### *De Sacramento Matrimonii.*

SAcramenti Matrimonii institutionem, vim, naturam, & sanctitatem Parochus sæpenumero, & quam accuratissime potest, Fidelibus ex Catechismi Romani doctrina explicet, ut omnes intelligant, cujus rei causa institutum sit, & quam animi præparationem, pietatemque requirat.

In Matrimoniis celebrandis videat, ne ulli clandestino Matrimonio intersit sub pœna a sacris Canonibus constituta: sed servet omnia, quæ a sac. Tridentino Concilio statuta sunt in denunciationibus, benedictione, & aliis.

Ac primum antequam Matrimonio assistat, trinas denunciationes publice inter Missarum solemnia secundum formulam Ritualis Romani faciat per trinos continuos, non tamen ( ut si quod subsit impedimentum facilius innotescat ) sese invicem excipientes Festos dies, qui Ecclesiæ præcepto celebrantur: per alios dies, qui ex voto tantum observari solent, ejusmodi denunciationes ne fiant, nisi magna sit Populi frequentia, & causa rationabilis urgeat.

Si e diversa Parochia contrahentes fuerint, aut in aliis domicilium habuerint, hæ denunciationes fiant & in utriusque Ecclesia, & ibi, ubi domicilium habuerint: neque alterutrius sponsi Parochus eos in Matrimonium prius conjungat, quam sibi alterius Parochi testimonio scripto constiterit, in alterius etiam Parochia, & in iis, ubi domicilium habuerint, prædictis denunciationibus factis nullum legitimum impedimentum detectum esse, quo minus tale Matrimonium contrahatur.

Pa-

Parochus, qui Matrimonium a Parochiano suo foris contrahendum denunciaverit, nullam factarum a se denunciationum fidem in scriptis edat tradatve, nisi postridie omnium denunciationum.

Antea vero quam Matrimonium denunciet, cognoscat, quales sint ii, de quorum contractu agitur: an ætate legitima: qua conditione: an aliquo propinquitatis gradu conjuncti, quo contrahere prohibeantur. Ad hæc primum a Mare, tum a Fœmina exquirat, an sponte & libere contrahant: an sponsalia cum aliis contraxerint; num Castitatis; num Religionis voto sint obstricti; demum an Matrimonii, de quo inter eos agitur, denunciationes fieri velint. Quod si in diversis Parochiis illi habitant, utriusque Parochus idem servet, ut Matrimonium alter tunc demum denunciet, cum ab altero certior factus fuerit de postulatu, aut consensu alterius, qui ejus curæ subjectus est.

Si Filiifamilias sint, sciscitetur, de Parentum ne voluntate, an contra ineant Matrimonium: *quamvis enim Parentum consensus necessario non requiratur, iis tamen hunc honorem habendum esse, ut insciis, aut rationabiliter invitis res tanti momenti non suscipiatur, nisi forte Parentes futurum Matrimonium malitiose impedituri sint.*

Norint vero Parochi Canonica impedimenta, tum quæ futurum Matrimonium impediunt, tum quæ contractum dirimunt: imo etiam aliquando Populo diligenter exponant, pro ut necesse fuerit, ex Concilio Tridentino, & probatis Doctoribus: simulque commoneant, quam gravi se crimine obligent & qui falsa impedimenta ad legitimas nuptias disturbandas comminiscuntur, & qui ea, quæ sciunt, metu, favore, aut alia quavis causa opportuno tempore non deferunt. Præterea ejusdem Tridentini Concilii auctoritate ostendant,

 Ma-

Matrimonium ita gradu prohibito contrahi non licere, ut qui scienter sic contraxerint, etiam separari, & spe dispensationis consequendæ carere debeant.

Si interea, dum denunciationes fiunt, aliquod impedimentum certum detectum fuerit ac constiterit, tunc & abstineat Parochus a celebratione Matrimonii, & sponsi resiliant. Sin autem aliqua extiterit dubitatio, & ambiguitas, aut probabilis suspicio impedimenti alicujus sive ex verbis eorum, qui contracturi sunt, sive ex fama, sive ex alicujus testis etiam unici affirmatione; de re tota certiores Nos faciat, nihilque præterea agat, nisi de nostro mandato.

Si contrahentes dispensationem Apostolicam obtinuerint in aliquo gradu ex prohibitis a jure, ejusdem in denunciationibus Parochus meminerit, ut si qua præterea subsint impedimenta detegantur.

Matrimonii futuri denunciationibus in Ecclesia de more factis, si forte illud duorum mensium spatio non contrahatur, ne illud antea Parochus celebret, quam iterum denunciationes fecerit.

Caveat etiam, ne eo die, quo denunciatio ultima facta fuerit, Matrimonium celebret. Hoc autem non valeat, si postrema denunciatio facta fuerit pridie Adventum Domini, aut Cineres, item si antecedente denunciatione significatum fuerit populo, eo die, quo postrema denunciatio facta fuerit, Matrimonium celebratum iri.

Si quis Parochus secundum has regulas Matrimonia non denunciaverit, aut sine nostra facultate in scripto, una aut altera aut omnibus denunciationibus omissis, sponsos cujuscunque ætatis, gradus, & conditionis in Matrimonium conjunxerit, aut conjungi permiserit, triennium esto a divinis suspensus, nisi id summa necessitas flagitarit, & copia non fuerit Nos

adeun-

adeundi ad dispensationem denunciationum obtinendam; E. G. si quis in mortis articulo, vel subito in longinqua omnino abiturus fœminam velit, quam vitiarit, in Matrimonium ducere ad resarciendam famam ejus, filiosque ex ea susceptos legitimandos; quo casu certiores Nos Parochus statim faciat vel coram, vel per litteras; & Conjuges interea separentur usque dum denunciationes in Ecclesia factæ fuerint.

Omittendarum vero denunciationum facultatem reservamus Nobis, cum præsentes in hac Urbe, & Diœcesi adfuerimus; si autem abfuerimus, in iis dispenset unus Vicarius Generalis.

Alienæ Diœcesis sponsum, aut sponsam in Matrimonium Parochus ne conjungat, etiam si testimonium de sua libertate afferat ab suo Ordinario, nisi illud auctoritate nostra fuerit comprobatum. Excipe tamen in mortis articulo; tunc enim ea serventur, quæ modo de denunciationibus præscripta sunt. Iis autem, qui ex aliena Diœcesi infantes, & antequam sponsalia contrahere propter ætatem possent in nostram Diœcesim translati fuerint, neque hinc postea demigrarint, nulla ab Ordinario priore de libertate testificatio opus erit. Ac si in eadem Paróchia perpetuo manserint, Parochus eos in hoc accipiat pro indigenis; sin autem Parochias mutarint, eorum erit in nostra Curia comprobanda libertas.

Vagantium quoque hominum, & Peregrinorum Matrimonia ne celebrentur, nisi habita prius juxta Tridentini Concilii præscriptum diligenti inquisitione, & testimoniorum, quibus legitime de illis testatum fuerit, examine facto, reque tota ad Nos delata, & facultate celebrandi Matrimonii a nobis impetrata.

Qui amisso priori Conjuge nec tamen certo de illius morte nuncio accepto ad alias nuptias transire

volunt, nulla alterius Conjugis, quamvis longinqua, absentia sive ob belli, sive ob captivitatis, sive ob peregrinationis, sive aliam quamcunque ob causam satis sit, cur alter eorum alii nubat, donec certum de absentis morte testimonium afferatur. Atque ut omni fraudi occurramus, volumus ejusmodi testimonia in nostra Cancellaria exhiberi, & interim Parochis denunciationes facere prohibemus, donec facultatem a Nobis acceperint. Si secus factum fuerit, gravissimas in transgressores pœnas constituemus. Quod si alter Conjux extra Parochiam quidem, sed in nostra tamen Diœcesi obierit, satis erit testificatio ejus Parochi, intra cujus fines obierit, modo tamen conjux nimis longe mortuus non sit, ut alterius Parochi de morte testantis scripturam alter non agnoscat; quo casu ea testatio in nostra Cancellaria erit comprobanda.

Nemo nisi proprius sponsorum Parochus Matrimoniis quibuscunque assistere audeat. Si quis Parochus, vel alius Sacerdos sive Regularis, sive Secularis quantumvis sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere prætendat, alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi, aut nostra licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu a Nobis absolvatur.

Etsi autem, quod ad valorem Matrimonii attinet, proprius Parochus est tum Parochus sponsi, tum sponsæ; antiquam tamen consuetudinem observari mandamus, ut Matrimonia celebrentur coram Parocho sponsæ, nisi rationabilis causa aliud persuaserit. Ubi vero Mulier, contracto Matrimonio, necdum tamen benedicto, transit in domum viri ad alienam Parochiam, tunc Matrimonium benedicatur a Parocho viri.

Antequam vero Matrimonium celebretur, Parochi graviter sponsos moneant, ut orationibus aliisque christia-

stia-

stianæ pietatis operibus, piorumque precibus ad Matrimonium ineundum se præparent; saltem vero triduo ante ejus consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & Sanctissimam Eucharistiam pie suscipiant, ut e Matrimonii Sacramento salutem gratiamque Dei uberiorem percipiant.

Quos Parochi experiundo viderint Doctrinæ Christianæ rudimenta prorsus ignorare, illos in Matrimonium ante ne jungant, quam de iis iterum interrogando didicisse perspexerint.

In Matrimoniis vel contrahendis, vel benedicendis Parochi nihil discedant a ritibus, & ceremoniis in Rituali Romano præscriptis. Viduæ nuptiæ ne benedicantur, etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit; benedicantur tamen vidui nuptiæ, si ejus mulier nemini nupta fuerit.

Quoniam autem non sine maximo animi nostri dolore inolevit abusus, ut Matrimonia sæpe non solum extra Ecclesiam in privatis domibus celebrentur, sed etiam a Sponsis consummentur ante Benedictionem, unde fit præterea, ut de ipsa Benedictione non sint Sponsi admodum postea solliciti; idcirco ne longius serpat malum hoc, Parochis sub pœna suspensionis a divinis prohibemus, ne ullis Matrimoniis assistant, aut assistere alios permittant extra Ecclesiam & Missam, in qua fiat ipsa Benedictio, nisi in gravissima necessitate, vel de nostra licentia: tunc vero graviter Sponsos hortentur, ne simul habitent, neve Matrimonium ante consumment, quam Benedictionem acceperint in Ecclesia.

Et quia Filii Sanctorum non debent ita conjungi, sicuti Gentes, quæ ignorant Deum, curent omni studio Parochi; ita celebrari Matrimonia, quemadmodum modestiæ Christianæ convenit: & si quid superstitio-

sum,

sum, vel inhonestum in ipsam Matrimonii celebrationem, aut petulans hominum lascivia, aut tempora invexerint, id omne ( quoad fieri potest ) prohibeant atque removeant; *Sanctam enim rem esse sancteque tractandum Matrimonium*. Ut igitur illi clamores, illæque tumultuosæ voces a profano gentium more non abhorrentes, illi hominum strepitus, qui ad iterum nubentium domos quasi ad exagitandas secundas Nuptias excitari solent, omni modo extirpentur, funditusque tollantur, tum Parochorum curæ committimus, tum secularium etiam Magistratuum Religioni commendamus.

Illa quoque consuetudo, quæ alicubi obtinuit, ut certa quædam pecunia ab iis extorqueatur, qui ex alieno solo, aut aliena Parochia uxorem ducunt, nullo modo ferenda est. Si quid ejusmodi in posterum admiserit Parochus aliquis, sciat se gravissime, etiam pœna suspensionis a divinis, a Nobis punitum iri.

Dies aliquos Matrimoniis infortunatos & infaustos putare non minimum superstitionis genus esse, ita sæpe Populo Parochi inculcent, ut persuadeant: *Duo enim tantum esse tempora ( ab Adventu scilicet Domini Nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae, & a Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive ) quibus antiquas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observandas praecipi a sancta Synodo Tridentina*. Neque vero solas Nuptiarum solemnitates per ea tempora interdictas esse Parochi sciant, sed Matrimoniorum etiam contractibus assistere sine nostra scripta facultate: quam legitima & urgente causa ita aliquando concedemus, ut ea quidem sufficiat ad traducendam sponsam ad sponsi domum statim post contractum Matrimonium, sed a solemnitatibus Nuptialium conviviorum, choreis, ap-

pa-

paratibus, aliisque in traductione sponsæ alias adhiberi solitis abstinendum omnino sit.

Celebrata Matrimonia in libro, quem omnes Parochi in Sacristia Parochialis Ecclesiæ habeant & diligenter asservent, describant ipsi Parochi ex formula Ritualis Romani intra quatriduum sub pœna suspensionis a divinis ipso facto per menses duos. Exprimant etiam, si qua intercesserit dispensatio, & qualis fuerit. Is autem Parochus, cui ad animarum curam Coadjutor datus fuerit cum facultate etiam Parochiæ incolas in Matrimonium de ejus consensu conjungendi, nomen, cognomen, patriam Coadjutoris in Matrimoniorum librum statim a principio referat, notato præterea die, mense, & anno, quo datus fuerit. Alios Sacerdotes ( quod item de Sacramentis in genere cautum est ) sive Seculares, sive Regulares cujuscunque ætatis, prærogativæ, & conditionis, nunquam nisi in gravissima necessitate ulli Matrimonio assistere aut benedicere sine nostra scripta licentia permittat sub pœnis arbitrio nostro. Si quam ejusmodi facultatem alicui dabimus, ea regesto celebrati ab illo Matrimonii inseratur.

Cum autem doceat Apostolus, Virum a Muliere, & Mulierem a Viro deseri non debere, nec invicem debitis obsequiis fraudari: si Conjuges aliquando sine legitima causa a sacris Canonibus approbata & Ecclesiæ judicio admissa divortium fecerint, & maritalem convictum cohabitationemque recusarint, sedulo curent Parochi tum per se, tum per alios conjugalem eorum pristinam gratiam & societatem reconciliari. Quod si alteruter justam dissidii causam prætenderit, eam Nobis aut Officio nostro probare debebit; secus, cujus culpa factum fuerit durabitque divortium, is tandiu Sacramentis privatus sit, dum suo Conjugi reconciliatus fuerit.

Si

Si post Matrimonii celebrationem impedimentum innotescat, prudenter, quantum Dominus permiserit, tum Parochus, tum quilibet alius Confessarius provideat, ne Conjuges sub specie Matrimonii in concubinatu perseverent: &, si res occulta fuerit, ne scandala oriantur, statim dispensationem obtinendam curet, & in Casibus difficilibus ad prudentum virorum consilium confugiat.

## C A P. XIII.

### *De Sponsalibus.*

SPonsalia sunt stipulatio seu promissio de futuris Nuptiis, & justam gravemque pariunt obligationem celebrandi congruo tempore Matrimonii, nisi legitima eorum solvendorum causa interveniat. Quamobrem Parochi sæpe admoneant Populum, ne inconsideranter, ac temere, sed de bonorum virorum deliberatione & consilio sponsalia contrahant, unde resilire, quotiescunque velint, non possunt. Moneant præterea ne clam, & a solis sponsalia fiant; *saepe enim fieri, ut alter alterius pertaesus sponsaliorum fidem non teneat, &, cum in jus venitur, nullo teste convinci possit, ubi, quo tempore, quo praesente stipulatus sit; imo juratus etiam neget, se quidquam re, aut verbo promisisse: unde contentiones infamias rixas inimicitias non sine magno bonorum scandalo oriri.*

Illud etiam inculcent, quod de Matrimonio contrahendo superius constitutum est, Filiosfamilias ne insciis quidem, nedum invitis & repugnantibus Parentibus, aut iis, quorum curæ subsunt, sponsalibus se obstringere debere: *Quanquam enim sine gravi culpa nullo modo Parentes, & qui loco Parentum sunt nec*

*di-*

*directe, nec indirecte cogere Filios, aut sibi commissos possunt, quominus libere Matrimonia contrahant, tamen Filios quoque familias, qui invitis aut insciis praedictis contra Sanctorum exemplum Sponsalia contrahunt, aut nunquam aut raro vacare mortali culpa.*

Caveant autem Parochi, ne, cum sponsalibus intererunt, illa de præsenti, sed de futuro Matrimonio contrahantur; eamque verborum formulam concipi curent, ut de eorum sensu nulla deinde ambiguitas, & nulla quæstio oriri possit.

Factis sponsalibus, Sponsi quamprimum ( modo sint puberes, & una esse interque se versari cum periculo possint ) per verba de præsenti coram Parocho & Testibus, servatis servandis, Matrimonium perficere curent; ultra annum vero nullo unquam modo differant, nisi gravius intervenerit impedimentum.

Interea vero Parentes aliique domestici Sponsos modis omnibus custodiant, & nec solos unquam esse, nec frequenti, ac familiari consuetudine uti sinant, suæ aliquando in hac re negligentiæ severissime omnipotenti Deo rationem reddituri: & omnino nequid accidat, Parochi statim a factis sponsalibus insinuent sponsis ipsis, & cum videbitur, etiam Populo modeste & prudenter significent, nihil eorum quæ Matrimonii sunt eis ante ipsam Matrimonii celebrationem licitum esse: imo si qui contractis sponsalibus una ante coierint, quam coram Parocho & Testibus Matrimonium inter eos celebretur, hujus peccati absolutionem Nobis esse reservatam, gravemque pœnitentiam ei esse decretam.

Nam illud in Domino enixe rogamus Parochos, ut eorum effrænatam libidinem reprimant & coerceant, qui, data spe futuri Matrimonii, cum soluta diu noctuque parentibus & consanguineis sæpe consciis, nec reclamantibus, interdum etiam consentientibus impuden-

dentissime versantur, indignissima concubinatus labe viri & uxoris nomina deturpantes. Fœminas etiam, ne se ejusmodi fallaciis decipi sinant, diligenter moneant, & deterreant tum exposita maxime fœditate & gravitate hujus criminis, ac magnitudine Divinæ offensæ, in quam incurritur, tum etiam quia sæpe videmus hujus generis homines expleta libidine eas ipsas, quas deperibant, aversari, innuptasque, ac diffamatas misere deserere.

## CAP. XIV.

### *De celebratione Missarum.*

QUod Mosaicæ Legis Levitis & Sacerdotibus dictum est: *Mundamini, qui fertis vasa Domini:* &: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos*, id tanto magis Evangelicis Sacerdotibus inculcandum est, *quantum Corpus Unigeniti Filii Dei excedit arietes, & tauros.*

### *De interiori animi praeparatione.*

SAcerdotes igitur sese colligant & probent celebraturi: conscientiam suam diligenter excutiant & examinent: hujus denique Sacrificii Majestate sibi ante oculos posita omnem operam & diligentiam adhibeant ad tantum hoc opus, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditie & puritate, atque exteriori devotionis pietatisque specie illud peragant.

Ideo peccatorum confessionem saltem octavo quoque die faciant. Lethalis vero peccati sibi conscii nunquam sine præmissa Sacramentali confessione ad celebrandum accedant, quantumvis sibi videantur contriti, &

ex

ex Officio celebrare debeant, modo sit illis copia Confessoris, & sine gravi scandalo Missam omittere possint. Quod si ejusmodi necessitate Sacerdos aliquis mortalis peccati reus ad celebrandum adigatur, neque habeat Confessarium approbatum, a quo possit absolvi, certe & contritus sit, & propositum confitendi habeat (nam si horum alterutrum illi desit, nulla unquam tanta potest esse necessitas, quæ illum, si celebraverit, eximat a Sacrilegio) & quamprimum postea confiteatur, memineritque proscriptarum ab Alexandro VII. propositionum, quarum altera XXXVIII. numeratur: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum est consilium, non praeceptum*. Altera XXXIX. *illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur*.

Præter autem conscientiæ examen & munditiem cordis, ne omittant celebraturi piam aliquam meditationem præmittere, maxime ex Christi Domini passione, in cujus memoriam hæc facere jussi sumus. Matutinum etiam & Landes (quantum poterunt juxta Rubricas & saniorum Theologorum doctrinam) præmittant, sacrasque illas preces ab Ecclesia ad præparationem Missæ compositas devoto animi sensu semper pro temporis opportunitate adhibeant: superfluis colloquiis & confabulationibus proxime ante celebrationem ne se dedant, neve obambulent per plateas sine necessitate, aut rebus sese immisceant, quæ animum perturbent, tantoque exequendo mysterio minus aptum efficiant. Maxime autem caveant, ne intentione peccent, neve ex humana consideratione, aut consuetudine magis, quam ardenti in Deum pietate Missam celebrent. Omnem denique intentionem suam ad voluntatem & intentionem Ecclesiæ conformantes offerant Christi Domi-

mini corpus & sanguinem ad Sanctissimæ Trinitatis honorem & gloriam, ad Ecclesiæ triumphantis laudem, ad militantis utilitatem omniumque Fidelium salutem: deinde pro iis potissimum precentur, pro quibus debent vel propter eleemosynam, aut beneficium acceptum, vel propterea quia illorum animæ sibi commissæ sunt.

### *De exteriori cultu.*

IN omnibus & singulis nostræ Diœcesis locis, ubi vestis talaris usum quotidianum indiximus, nemo (præter advenas, iter habentes, aut ad iter eadem die paratos) sine nostra scripta licentia nec in Ecclesiis Secularibus, nec Regularium utriusque sexus quomodocunque exemptis celebrare sinatur, si ad Ecclesiam & Sacristiam talari veste indutus non accesserit; aliter tum is qui admittitur, tum qui sciens vidensque eum celebrare permiserit, gravissime plectentur. Advenis autem & iter habentibus paratæ sint in Sacristiis vestes talares; nec quisquam sive in Urbibus, sive in Oppidis & Castellis, sive in Pagis & Ecclesiis ruralibus, sive in Oratoriis sine talari veste celebrare audeat; multo vero minus sine clericali Tonsura, & consueto Clericorum collari.

Nullus item ad Altare accedat, nisi bene laverit manus; lavet etiam peracto Sacrificio.

Sacræ vestes nec discissæ sint, nec dissutæ; sed exquisita munditia niteant. Amictus & Alba ut nomen habent & significationem, sic etiam candida sint: cætera indumenta & velum calicis similia inter se sint, & colore conveniant quotidiano Officio & mysteriis: una & eadem casula varios colores habere ad ornatum possit, non ad usum diversi Officii diversum poscentis

co-

colorem: calicem, corporale, & purificatoria ad immaculati Agni sacrificium maculosa adhibere nefas sit: calices quotidie & diligenter linteo tergantur; & præterea furfure & aqua identidem purgentur.

*De loco, & tempore.*

IN privatis Ædibus vel Oratoriis aut Sacellis a Nobis, aut a Decessoribus nostris non approbatis Missa ne celebretur: item neque in Ecclesiis aut Oratoriis sive Sacellis & Altaribus pollutis, interdictis, non benedictis, suspensis. Ubique vero, dum celebratur, pateant fores.

Porro nec ante Auroram, nec post Meridiem, nisi ad summum horæ unius triente, Missæ celebrentur, nisi ex causa jure permissa, exclusa omni ipsius celebrantis, & alterius personæ cujuscunque gradus, ætatis, & conditionis commoditate.

In Ecclesiis, ubi plures Missæ celebrari solent, is ordo servetur, ut ad Populi commoditatem, & ad Fidelium devotionem magis fovendam prima diluculo, reliquæ deinceps debito intervallo, postrema ad meridiem celebretur. Festis tamen diebus omnino serventur, ea, quæ in capite *de Parochis* constituta sunt.

Quod si eodem tempore & in eadem Ecclesia plures Missæ celebrandæ erunt, provideant Sacristæ & Ecclesiarum Præfecti, ne Sacerdotes inter se alius alium obturbent; & si Ecclesia ita angusta sit & exigua, ut uno tempore plures Sacerdotes in ea celebrantes se mutuo audiant & impediant, ne eodem tempore plures quam duo Missam celebrent, & alter ab altero distet, quantum licet.

Atque hoc cum omni tempore, tum maxime servari volumus, cum vel exequiæ, vel dies Festus, vel In-

dulgentiæ in hujusmodi Ecclesiis celebrabuntur, & eam ob causam, si Missas omnes, quæ debent, celebrari eo die tempus non patietur, ut huic Decreto omnino pareatur, in alium reliquæ differantur.

In privatis autem Oratoriis una plures Missæ eadem die ne celebrentur, diebus autem in Apostolico indulto, & nostris hisce Constitutionibus exceptis nulla prorsus. Neque ibi ullus celebret sine præsentia Personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit; neque ante Auroram, aut post Meridiem, ut superius statutum est; aliter & Oratorium ipso facto interdictum esto, & Sacerdos, qui celebraverit, arbitrio nostro pœnas dabit. Moneantur autem omnes, qui in indulto comprehensi non sunt, nec tempore Missæ sunt actu necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto minime censeri exemptos. Dies autem in Apostolico Indulto & Synodalibus nostris Constitutionibus excepti sunto NATALIS DOMINI N. JESU CHRISTI, EPIPHANIÆ, PASCHATIS, PENTECOSTES, ANNUNCIATIONIS, & ASSUMPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS, item dies Festus Sanctorum Apostolorum PETRI & PAULI, Sanctorum Martyrum HERMAGORÆ & FORTUNATI, & OMNIUM SANCTORUM.

In Oratoriis porro privatis nunquam Eucharistia administretur sine nostra licentia.

### *De observandis aliis & evitandis in celebratione Missae.*

AD Eucharistiam conficiendam non Laicus Hostias faciat, sed ipsimet Sacerdotes, aut Clerici, aut Sanctimoniales de mundissimo flore farinæ selecti tri-

tici.

tici. Vinum etiam nullo vitio laboret, non sit impurum, non mucidum, non acre; sit meracum, & quam optimum: ubi potest, sit album tum propter stomachum, tum ob sacræ supellectilis munditiem. Urceoli, qui adhibebuntur, ne sint e stamno, argento, aut alio metallo, sed e vitro omnino, aut e chrystallo perlucido, quo distinctius aqua a vino dignoscatur: habeant suum operculum, & non solum quotidie, quod fieri debet, sed singulis etiam mensibus cura & diligentia præcipua mundentur.

Certum Missarum, & candelarum in Missis numerum, qui magis a superstitioso cultu, quam a vera religione profectus est, omnino prohibemus.

Celebraturus dum in Sacristia moratur a colloquiis omnino abstineat, maxime autem cum Sacris vestibus indutus est, aut illas induit: dum induit, præscriptam unicuique indumento orationem ac preces recitet, mentemque & oculos ab iis omnibus amoveat, quibus in alia distrahi possit. Quod vero in quibusdam Ecclesiis ruralibus, & Oratoriis fieri comperimus, ut paramenta de Altari sumpta induantur, id omnino interdicimus.

Ante quam ad Altare accedat, Missam, quam dicturus est inveniat & percurrat, singulasque ejus partes ita signis distinguat ac præparet, ut inter celebrandum neque erret, neque hæreat. Calicem quoque & singula ad eum spectantia inspiciat, caveatque, ne quid sordidum, sed omnia munda sint & nitida. Hostiam quoque circumspiciat, oculariterque circum a fragmentis expoliat, nec sine ea unquam ad Altare accedat.

Ministri & candelas accendant, & urceolos, atque alia ad Missam necessaria suis locis in Altari prius collocent, quam eo Sacerdos accedat: quem, nisi his omnibus præparatis, ordiri prohibemus.

Graviter & modeste de Sacristia procedat, nec unquam sine clericali bireto. Annulum in Missa gravissimis pœnis interdicimus omnibus, etiam Doctoribus, & Protonotariis, item Canonicis Cathedralis, & Collegiatarum, quibus ad summum permittimus sine gemma, & sine effigie.

In Altari nullam Sacrificii moram faciat cujusvis expectandi gratia, statimque inchoata Missa nec subsistat, nec iterum unquam incipiat.

In Missæ celebratione ceremonias a Romana Ecclesia institutas ad unguem servet, neque alias adhibeat, aut iis, quæ secreto vel palam dicuntur, quidquam addat, aut detrahat ne devotionis quidem prætextu.

Quæcunque elata voce pronuncianda sunt, distincte & clare dicat, ita tamen ut alios non confundat: Secreta quæ vocantur, secreto etiam pronunciet, neque tardius neque celerius quam par sit: secretas illas orationes, quas memoria comprehendi opus est, diligenter addiscat. Cæterum propter erroris casum, qui est in omni Missæ parte gravis, in Canone gravior, in ipsa vero Consecratione gravissimus, Missam totam legat, non memoriter dicat: denique sit Celebrantis actio omnis, & pronunciatio venerabunda, & devota, & omni indecoro atque abhorrenti capitis, oris, & reliqui corporis motu careat, in quo etiam pietatis specie a multis sæpe peccatur.

In Missæ præparatione intentionem eliciat; & licet virtualis sufficiat, in ipsa tamen consecratione curet etiam actualem.

Qui celebrat in Ecclesia Regularium, aut Monialium, in qua fiat de Festo duplici habente Missam propriam solis Regularibus concessam, Missam quidem dicat de Festo illius Ecclesiæ, sed e Missali Romano de Communi, nisi sit etiam pro Secularibus Missa propria ejusdem Sancti.

Ad eorum autem intolerabilem refrænandam audaciam, qui tanta cum incogitantia Missam celebrant, ut accedentes ad Altare simiarum, joculatorumque potius speciem præferre videantur, & ita ex abrupto & impræmeditate, & quasi certatim incipiunt, præcipitanterque peragunt, ut tum irreverentia, tum erroribus, quos committunt, reddant Populo contemptibilia Mysteria Dei, sintque magno devotis mentibus scandalo; primum illis divinum interminamur Judicium, ac *maledictum* ab ipso Deo per Jeremiam in eos, *qui faciunt opus Dei negligenter*, contortum; deinde sciant, nostras etiam pœnas gravissimas se non esse evasuros, si quamprimum sese non emendaverint. Et cum communis sit Theologorum, & in sacris ceremoniis peritorum hominum sententia Sacræ Congregationis Rituum responso, & Summorum Pontificum edicto comprobata, non posse rite, decenter, ac devote, ut par est, Missam celebrari breviore tempore quam triente unius horæ; quicunque in Missæ sacro peragendo tantum temporis notabiliter non ponet, eum suspensione a divinis tantisper mulctabimus, dum discat debito honore & cultu tremendum hoc & omnium sanctissimum Mysterium ad Fidelis Populi ædificationem tractare. Non solum autem ita celebrantes, sed etiam Sacristas, & Ecclesiarum Præfectos, qui hujusmodi Sacerdotes celebrare permittent plus una vice, & non denunciabunt in hac quidem Urbe Nobis, extra vero Vicariis Foraneis, gravissime puniemus. Atque hæc nostra Constitutio in omnibus & singulis Sacristiis exposita teneatur.

Celebranti ministret, ubi adest, Clericus talari veste & superpelliceo indutus, maxime Dominicis & Festis diebus: ubi nullus Clericus adest, Laicus, non tamen sordidus nec lacera veste indutus. Idcirco cu-

rent Parochi & Ecclesiarum Præfecti diligenter, ut delecti adolescentes instruantur, qui in Missæ sacrificio recte, distincte, ac reverenter respondeant, non mussitanter aut dimidiate; maximaque animi attentione & corpore etiam modeste, ut decet, composito adsistant & serviant.

Vasa, aut linteola sacra ne colligantur, neque extinguantur candelæ, nisi Evangelio, quod in fine Missæ dicitur, admodum absoluto.

Peracta Missa neminem privatum salutet Sacerdos, sed bireto capiti imposito ad Sacristiam eo modo, quo venit, revertatur, & pro summi beneficii munere præscriptas ab Ecclesia gratias Deo agat, quibus alias adjungat pro pietate & devotione sua.

Sit in unaquaque Sacristia certus liber, in quo quilibet Sacerdos celebrata Missa manu propria describat nomen & cognomen suum, significetque vel nominatim, vel generatim, pro quo ea die celebraverit; aliter non censeatur satisfecisse, nec ullum ad eleemosynam consequendam ob celebratam Missam jus habeat.

Quod ad frequentiam Divini Sacrificii attinet, Tridentini Concilii auctoritatem secuti volumus, Sacerdotes omnes ( de Parochis alibi dicetur ) cujuscunque gradus, conditionis, & dignitatis, saltem singulis Dominicis, & reliquis festis diebus, nisi jure impediantur, Missam celebrare. Celebrare autem quotidie debita præparatione præmissa quilibet Sacerdos potest, & res est commendatione dignissima; verum eorum etiam maximopere laudabilis est consuetudo, qui certis diebus propter hujus Sacramenti reverentiam a celebrando se abstinent. Sed tribus postremis diebus Hebdomadæ Majoris prohibemus ubique secundum edictum jussu fel. rec. Clementis XI. a cl. mem. Cardina-

li

li Parracciano editum quascunque Missas privatas præter Parochialem, & Conventualem.

### *De Sacerdotibus alienae Diœcesis.*

ALienæ Diœcesis Sacerdotes ad rem divinam faciendam ne admittantur neque in Secularium, neque in Regularium utriusque sexus Ecclesiis, neque Oratoriis, nisi ostenderint litteras proprii Episcopi in Cancellaria nostra recognitas, & subscriptione nostra, ac sigillo Patriarchali munitas. In locis tamen ab hac Urbe duo milliaria distantibus possint Vicarii Foranei, & (ubi ii non adsunt) Parochi exteros Sacerdotes iter habentes, & alio properantes ad celebrandum admittere una tantum die, examinatis omnino eorum litteris testimonialibus, ac pensatis omnibus circumstantiis, ut nulla falsitatis aut doli suspicio relinquatur. Noti alienæ Diœcesis Sacerdotes clericalem modo habitum, & tonsuram gestantes celebrare sine litteris nostris per hebdomadam, & non amplius sinantur; errones vero & vagi nunquam.

### *De iis, qui Missae intersunt.*

CUm audiendæ Missæ rationem Populum docebit Parochus, ut ex propitiatorio illo Sacrificio uberiorem fructum capere possit, hæc eum sæpe admoneat:

Ut, ubi Campana signum Missæ dederit, sese quisque colligat, & si cujus mortiferi peccati sibi conscius est, summopere doleat cum certo stabilique vitæ emendandæ proposito.

Ut Missæ intersint omnes eodem vestitu, quo in publicum procedere solent, & ita se componant, ut

habitu corporis religionem animi præseferant: sint flexis genibus, quo tempore a Sacerdote confessio dicitur, & graviora peraguntur: stent, dum Evangelium legitur; denique singula Missæ Mysteria pie & decore prosequantur.

Ut ne in Ecclesiæ foribus aut extra, neque ad labra Aquæ sanctæ quisquam subsistat: rursus ne nimis prope ad Altare accedat, hæreatque gradibus ejus.

Deambulationes vero, strepitus, clamores, colloquia in Ecclesiis omni quidem tempore, sed tum præcipue, cum divina res peragitur, adeo a Nobis interdici, ut, si opus fuerit, ad compescendam impiorum hominum importunitatem, & insolentiam, qui sacris potius illudunt quam intersunt, etiam Brachium seculare imploraturi simus.

Ut ne, quod alicubi increbuit, in Missis solemnioribus, quæ canticis musicis celebrantur, statim post elevationem discedant.

*Haec autem omnia, quae de celebratione Missarum praecepta sunt, pro data Nobis a Sacrosancta Tridentina Synodo & Romanorum Pontificum Constitutionibus potestate, atque etiam ut Delegati Sedis Apostolicae, omnibus & singulis tum Secularibus, tum Regularibus, atque in omnibus Ecclesiis, quae sunt in nostra Diæcesi, inviolate servari mandamus sub pænis & censuris Ecclesiasticis arbitrio nostro; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscunque.*

Hortamur denique & enixe in Domino obsecramus universos & singulos nostræ Diœcesis Christi fideles sive Laicos, sive Ecclesiasticos, & Parochos in primis, ut memores ineffabilium beneficiorum, quæ ad nos jugiter profluunt ex hoc divino Sacrificio, canonice, &, si velint, etiam secreto denuncient eos, qui

in

in hac re graviter peccant, & præcipue Sacerdotes illos, quos viderint indecenter, ac nimium festinanter celebrare.

## CAP. XV.

### *De Missarum Eleemosynis, Legatis piis, & Missarum, atque Anniversariorum reductione.*

PActa, & conditiones sordidas, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum pro celebratione Missarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibemus. Dentur Sacerdoti pro Missæ celebratione in eleemosynam viginti solidi parvi Veneti, neque eo nomine plus petere ei liceat. Hortamur tamen omnes, ut pro sua quisque pietate, & facultate majorem hac offerant eleemosynam: imo approbamus, & servari mandamus consuetudinem, ut Festis diebus, item pro Missa majori & cantata, ac pro Legatis, & Anniversariis majores eleemosynæ erogentur ex laudabili more uniuscujusque loci.

Sed volentes omne damnabile lucrum ab Ecclesiasticis nostris removere, hæc de sacræ Congregationis Concilii Decretis, & summorum Pontificum Constitutionibus desumpta omnibus observanda mandamus.

I. Habeant Sacerdotes in animo semper tres illas propositiones ab Alexandro VII. damnatas, quarum prima est: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.* Altera: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae*

*celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Tertia: *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

II. Celebrationes Missarum pro incertis personis, quæ primum sint eleemosynam oblaturæ, ne anticipent.

III. Ubi pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis stipendia collata fuerint, aut in posterum conferantur quantumcunque incongrua & exigua sive a pluribus, sive ab una persona, omnino tot Missæ celebrentur, quot ad rationem datæ eleemosynæ præscriptæ fuerint ab ipso, qui eleemosynam tribuerit, vel a Nobis, si is, qui eleemosynam tribuit, numerum celebrandarum Missarum non præstituerit.

IV. Neque Ecclesiis, neque ullis Locis piis, seu illorum Administratoribus ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retinere liceat ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione: nisi cum Ecclesiæ, & Loca pia alios non habent reditus in usum earumdem expensarum erogandos; & tunc portio, quam retinebunt, nullatenus excedat valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sint subeundæ: & nihilominus eo etiam casu curetur, ut ex pecuniis, quæ supersunt, ( expensis ut supra deductis ) omnino tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab Offerentibus eleemosynas.

V. Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, non teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii, sed satis sit, si ei tribuat eleemosynam congruam a Nobis su-

pra

pra præscriptam, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

VI. Onera perpetua Missarum celebrandarum sine nostra vel Vicarii nostri generalis licentia ne suscipiantur.

VII. Eleemosynæ manuales & quotidianæ pro Missis celebrandis tum demum accipiantur, si oneribus antea impositis ita satisfactum fuerit, ut nova quoque onera suscipi valeant: alioquin hujusmodi eleemosynæ nec accipiantur sponte oblatæ, neque capsulis colligantur exponi solitis cum illa inscriptione *eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, ne in anniversaria quidem Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, neque si ita Ecclesiarum cultus, & Fidelium ad eas concursus imminueretur. Atque hoc decreto comprehendi volumus non solum Ecclesias, sed et.m privatos Sacerdotes. Declaramus tamen, ut non sit absolute prohibitum, quo minus novas eleemosynas ac nova onera Missarum celebrandarum accipiant ii, qui acceptis nondum satisfecerint, si intra modicum tempus (id est ad summum intra mensem) possint omnibus satisfacere; vel si, quamvis onera suscepta intra idem tempus adimpleri nequeant, tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit.

VIII. Nulla onera seu Missæ tum perpetuæ, tum temporales, tum etiam manuales, quibus satisfieri non possit, quoquo modo suscipiantur: utque hoc pateat, in omni Ecclesia conficiatur, & semper in loco maxime patente atque obvio teneatur tabella onerum perpetuorum, & temporalium litteris perspicuis & intelligibilibus descriptorum; quorum implemento si moraliter, & intra præscriptum tempus satisfieri probabi-

biliter non possit, aliæ Missæ sive perpetuæ, sive temporales, sive manuales quoquo modo non acceptentur; & ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimatur, propterea alias Missas acceptari non posse; ac præterea teneantur in Sacristia duo libri, in quorum altero singula opera perpetua & temporalia, in altero autem Missæ manuales, & tam illorum quam istarum adimplementum, & eleemosynæ distincte & diligenter annotentur.

IX. Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando, concurrente scilicet aliqua legitima causa, a celebratione vacare.

Diebus tamen licitæ vacationis non possint Missam pro se ipsis, vel aliis præterquam pro Fundatoribus celebrare; ideoque neque alias eleemosynas seu stipendia recipere.

Si autem obligati fuerint celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos; quotidie vel per se, vel per alios satisfaciant.

An vero qui obligati sunt quotidie per se ipsos celebrare, diebus, quibus licite vacare possunt, teneantur Missam ab aliis celebrari facere juxta intentionem Fundatorum; cum sacra Congregatio Concilii responsum distulerit, Nos interea, dum certum responsum datur, confirmamus consuetudinem veterem nostræ Diœcesis in alia Synodo Aquilejensi jam olim approbatam, id est, ut, qui habent obligationem celebrandi quotidie Missam per se ipsos ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut stipendii, possint ex vera devotione & reverentia erga Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum semel singulis hebdomadis a celebratione vacare absque eo quod teneantur Missam aliis vice sua celebrandam committere.

X. Qui

X. Qui Capellaniam habent cum onere celebrandi ex. gr. singulis Dominicis aliisque festis diebus, nulla tamen adjectione, cui Sacrificium applicandum sit, applicent hujusmodi Sacrificia pro anima ipsius Testatoris; nisi clara fuerit præsumptio, quod Testator id oneris, applicationis scilicet, imponere Capellano noluerit.

XI. Quibus injunctum est onus celebrandi Missas, seu Anniversaria ( sive ex Legato & fundatione, sive ex offerentium voluntate ) in certa Ecclesia, certisque diebus, atque ad certum Altare, ii nec alibi, nec diebus aliis celebrent. Missæ tamen votivæ, & *de Requiem* quamvis a Fundatoribus seu Benefactoribus præceptæ sint, ne celebrentur contra Missalis Rubricas. Quod si Missæ ex Benefactorum præscripto celebrandæ *de Requiem* incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum, etiamsi celebrandæ sint ad Altare privilegiatum, & sive illud in perpetuum privilegiatum sit, sive ad tempus, sive omnibus, sive aliquibus tantum diebus; siquidem per Apostolicum Indultum æque satisfit, nihilque de Suffragio & Indulgentiis animabus Purgatorii minuitur, perinde ac si Missæ *Defunctorum* ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuissent. Verum Anniversaria & Missæ defunctorum cum cantu ex dispositione Testatorum celebrandæ quotannis recurrente eorum obitus die, etiamsi in Festum ritus duplicis Majoris inciderint, celebrentur.

*Legata a quibus celebranda.*

CElebrationem Legatorum, & Anniversariorum propriis Locorum Parochis competere declaramus. Quapropter universis & singulis Beneficiorum simplicium Rectoribus, Sacristis, Capellanis, & Cooperatoribus committimus, & mandamus, ne ipsis celebrandis quovis titulo & prætextu se ingerant sine licentia & consensu Parochorum, idque sub pœnis tum pecuniariis, tum etiam suspensionis a divinis arbitrio nostro: nisi aliter inter eos forte convenerit, aut speciali aliquo privilegio ipsi Beneficiorum simplicium Rectores, Sacristæ, Capellani, & Cooperatores donati fuerint.

Verum si Parochi Legatorum oneribus satisfacere per se ipsi non valeant, aut nolint, in eorum celebratione præferant Coadjutores suos in Cura Animarum, deinde Sacerdotes Ecclesiis suis addictos in earumdem servitio, & in Doctrina Christiana tradenda maxime assiduos, servata semper regula hoc capite numer. XI. præscripta; imo etiamsi a testatoribus locus certus Missis a se legatis celebrandis assignatus non fuerit, Parochorum tamen cura esto ac diligentia, ut in loco, cui legatæ fuerint, celebrentur.

Sed quia ad aures nostras pervenit, aliquos nostræ Diœcesis Sacerdotes in eadem, aut diversis Ecclesiis plures obtinere Capellanias seu Mansionarias cum onere Missarum longe plurium, quam singuli per se celebrare ipsi valeant, quod aut fraudi, aut avaritiæ imputandum est; contra vero inveniri alios, qui cum quotidianas Missarum eleemosynas non accipiant, Altari quidem serviunt, sed non habent de Altari, unde vivant: idcirco statuimus, ut nullus Sacerdos sine no-

stra

stra scripta licentia plures Mansionarias, seu Capellas, quarum Missarum numerus excedat annum, obtinere possit; & qui plures nunc obtinent, intra bimestre aut a Nobis facultatem impetrent eas retinendi (quam tamen nulli dabimus, nisi certis de causis & conditionibus) aut sponte eas dimittant, retineantque eam, aut eas, quæ numero Missarum præscripto non superent anni dies. Si quis non paruerit, & Missarum eleemosynas amittet, & a divinis per annum suspendetur.

### *De Missarum. & Anniversariorum Reductione.*

DE Missarum, & Anniversariorum reductione statuimus, ut nemo hoc propria auctoritate ex quacunque causa aut prætextu facere præsumat. Ubi vel temporum injuria, vel alia causa fructus beneficiales, & legati pro Missarum, & Anniversariorum celebratione imminuti fuerint, aut alio quocunque modo incongrui evaserint & eleemosyna seu stipendio pro Missarum celebratione a Nobis constituto minores, ad Nos recurratur.

Postremo in hoc genere Parochorum officium esto, sæpenumero admonere Fideles, quam impium sit, & execrabile Legata pia non implere. *Licet enim Animabus defunctorum, qui legaverunt, non noceant quantum attinet ad meritum dignum praemio gloriae, quod ex sua pia dispositione assecuti jam sunt; nocere tamen quantum ad expiationem pœnarum quas debent, & hujusmodi Homines* necatores Animarum *in sacris canonibus appellari.*

Illud etiam ne omittant Parochi Fidelem Populum monere, Hæredes non liberari ab implendis Legatis piis,

piis, si vel Testamentum defectu alicujus Civilis solemnitatis sit solo jure Civili invalidum, vel Legata ipsa a Legatariis non acceptentur, sed si non acceptantur, in alios pios usus, Nobis tamen non inconsultis, expendenda esse.

## CAP. XVI.

### *De Vita & Honestate Clericorum.*

ILlud Sancti Hieronymi in Chronico ad annum CCCLXXVI. *Aquilejenses Clerici quasi Chorus Beatorum* Nos animo reputantes, atque adeo ad veterem illam formam, quantum horum temporum status & ratio sinit, nostrorum Clericorum disciplinam redigere cupientes, hæc de eorum vita & honestate præter ea, quæ supra in Capite *de Sacram. Ord.* præscripta sunt, statuimus atque decernimus.

### *De Clericorum vestitu.*

PRimum igitur de Clericorum vestitu, quæ alias a Nobis sancita fuerunt, eadem in hac Synodo iisdemque pœnis propositis observanda mandamus, illo ipso edicto in nostras hasce Constitutiones incluso.

# DANIEL DELPHINUS

## DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA PATRIARCHA AQUILEJEN. &c.

*ETsi dictum est, quod habitus non facit Monachum, tamen saepe dignoscitur, quod qualem quis sese ostendit per decentiam vel indecentiam habitus extrinseci, talis etiam morum honestate vel inhonestate intrinseca esse videatur.*

*Quare cum tanta hodie aliquorum Clericorum inoleverit temeritas, religionisque contemptus, ut propriam dignitatem, & honorem Clericalem parvi pendentes breviores ac pene laicales deferant vestes, & ostentent publice, nullaque temporis, vel locorum ratione habita sic incedant: ideo per Decretum etiam publicum tandem monendos esse duximus, & monemus omnes Ecclesiasticas Personas nostrae Diœcesis, quae aut in Sacris sunt, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinent, prohiberi a Nobis ejusmodi vestes, ac severe eis praecipi ut talaribus imposterum tum Altari servientes, ac divina ministrantes, tum foris incedentes, & in publicum progredientes semper uti debeant.*

*Ac sane Sanctorum Patrum, & Praedecessorum nostrorum Constitutionibus sancitum est, ut qui Ecclesiasticae militiae velint initiari talares semper deferant vestes, nec brevioribus utantur unquam, nisi itineris causa. Nos tamen mitius agentes indulgemus, ut Clerici nostri studiorum gratia, atque illi, qui teneriore aetate sese Deo obstringunt, ne nimiis graventur expensis, usquequo accessuri sint ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, induant se brevibus vestibus, ita tamen,*

*men, ut accedentes ad examen Ordinis hujus tunc & deinceps talarem vestem sumant, neque ad examen admitti possint, nisi firmaverint fide jurata a proprio Parocho propriam esse & suam, quod multo magis erit observandum, cum ad Presbyteratum promovendi erunt.*

*Indulgemus etiam illis, atque omnibus aliis, ut eorumdem studiorum causa, ac temporum intemperie sumere possint aliquando pallium breve retenta tamen veste talari, & non aliter, neque alio quovis praetextu: Declarantes quod, quicunque aliter fecerit, is toties subjaceat pœnae Ducatorum duorum, nec non, si correptus denuo in hoc deliquerit, suspensionis ab Ordinibus, ac Officio, & beneficio, ac fructibus, reditibus, ac proventibus ipsorum beneficiorum, atque aliis arbitrio nostro, nisi aliter coerceri possit.*

*Caeterum sive in Urbibus, sive Rure, vel alio in loco sint, nemo audeat, neque permittatur sacrum facere, nisi veste talari, neque Paramenta ei subministrentur.*

*Accusatores excipientur occulti, & medietatem taxatae pœnae pecuniariae obtinebunt.*

*Mandamus praesens Edictum publicari, & affigi in omnibus Sacristiis Civitatum nostrae Diœcesis, ac mitti ad omnes Vicarios Foraneos, ne ullo tempore allegari possit ignorantia & afferri de non praestita obedientia excusatio.*

*Dat. Utini in Palatio nostro Patriarchali die 25. Februarii 1738.*

( DANIEL PATRIARCHA Aquil. &c.

*Jo: Dominic. Coronella Canc. Patriarch. Aquil.*

Quo-

Quoniam vero, quæ fuerant de Clericorum vestitu sancienda, non omnia sunt eo Decreto comprehensa, in præsenti hæc addimus.

In Civitatibus Sacerdotes omnes, & Clerici in sacris Ordinibus constituti cujuscunque conditionis, gradus, & Ordinis induti semper sint veste talari, quemadmodum ipso Decreto præscriptum est, ac sub pœnis in eo propositis.

In Oppidis, & Locis nostræ Diœcesis frequentibus Sacerdotes Missam, aliaque divina Officia celebraturi ad Ecclesiam accedant talari veste induti sub eisdem pœnis, exceptis qui ab Ecclesia longe absunt: quod Vicariorum Foraneorum non tam arbitrio quam religiosæ conscientiæ judicandum permittimus.

In aliis vero nostræ Diœcesis Vicis, Pagis, & Locis minus frequentibus breviores vestes ita sibi permitti sciant, ut tamen nemo unquam ne in Campestribus quidem Ecclesiis seu Oratoriis Missam celebrare, Sacramenta ministrare, ac divina Officia obire audeat, itidem sub eisdem pœnis, sine talari veste, nisi cum noctu, vel in loca nimium ab Ecclesia remota, aut lutosa, aut montuosa & prærupta deferendum sit vel Sacrum Viaticum, vel Extrema Unctio, aut inde funus ducendum.

Forma autem brevioris vestis, quam iter facientibus, & extra Urbes degentibus permittimus, hæc esto. Sit nigri coloris: nullo ornatu distincta: non expectorata, aut inferius nimis patens: non ita brevis, ut stantis genu non operiat: marsupia nulla habeat: manicarum extremitates contractæ sint: fissuræ, globuli, latera ad laicorum usum elaborata ne sint: omnem denique ornamenti novitatem Clerici fugiant, & per decentiam habitus extrinseci intrinsecam morum honestatem ostendant.

dant. Vestes vulgo *Crosati*, *Soratodi*, *Bavaresi*, & alias hujusmodi omnibus interdicimus.

Vestes item talares nec nimia amplitudine superfluentes, nec plus æquo constrictæ sint, nec ejusmodi, in quibus fastus, jactantiæ, aut elationis vitium deprehendatur.

Cum autem in habitu clericali sicut studiosius exquisita cultus elegantia, sic etiam nimis abjecta negligentia, & affectatæ sordes condemnentur, nostri Clerici nec pannosi sint, aut laceri, nec superiorem vestem habeant tela confectam.

Subuculam, subligacula, & caligas nigri coloris semper adhibeant, qui veste talari non utuntur.

Camiscias ad collum, & ad manus lactucatas, aut alio artificio elaboratas ne induant.

Calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant.

Torques, armillas, & monilia ne induant. Annulus quoque interdictus omnibus esto, nisi si cui propter officii munus aut honoris gradum sit jure concessus; unicus tamen sit, & pretii non magni.

Comam studiose ne nutriant, nec muliebriter expoliant: Caliendra, galericula, vulgo *Parruca*, o *Parruchino*, & omne genus crinium appositorum omnibus cujuscunque conditionis, & gradus interdicimus.

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici coronam Clericalem latam & conspicuam habeant pro suo quisque Ordine.

Nemo ullus domo unquam exeat sine collari, & veste superiori.

Vestes item, quas domi privatim gestant, ejusmodi sint, quæ non colore, non ulla habitus specie a Clericali modestia discrepent.

Ne in Propinquorum, ne Parentum quidem obitu, col-

collare atri coloris adhibeant; sed pium erga Propinquos mortuos caritatis studium, officiumque præstent omni alia ratione, quæ clericalis ordinis decori, & dignitati conveniat.

Si quis personatus vestes Clericales, aut Monachales, vel ad earum formam confectas induerit, & is, qui eas induerit, & is, qui commodarit, graves pœnas invocato etiam Brachio seculari subibit.

### *De Armis, Ludis, Spectaculis, & ejusmodi a Clericis vitandis.*

CUm in armis virtutum consistat innocentiæ Christianæ securitas, edicimus, ne Clerici arma cujusvis generis ad offensionem, vel etiam ad defensionem gerant, nisi forte suspectis Locis iter eis faciendum sit, & scripto prius impetrata a Nobis vel Vicario nostro venia.

Saltationes, & choreas privatas, sive publicas ne agant neque invisant: ne larvas gerant: ne lascivas promant cantilenas, neque cantantibus faveant aut adsint: ne in Scenam prodeant: ne Comœdias, aut Tragœdias agant neque privatim, neque publice: Tragœdiis, Comœdiis, aliisve profanis, & inanibus spectaculis ne intersint.

Reos morte, vel alia pœna publice afficiendos spectatum ne accedant.

Ad Cauponas ne divertant, nisi iter facientes, aut quo se recipiant, non habentes: Laicorum compotationibus ne se immisceant: inter epulas ne canant quacunque vel cognationis, vel amicitiæ, familiaritatis, obsequii, & alia cujuscunque rei causa.

In publico ne ludant pila, aliisve ludis, maxime cum Laicis: ab omni alea abstineant: ne micent ne-

que inter se, neque cum Laicis: neque ludentium fautores, spectatores, aut testes sint: militum, aleatorum, & hujus generis hominum consuetudinem & familiaritatem fugiant.

Ab interdicta per sacros Canones venationes abstineant.

Mulierum suspectarum familiaritatem fugiant, ne vel suspicione laborent, vel periculosæ rei tractatione tabescant; ideoque adolescentulas cultas, procaces, otiosas, impudentes, famosas ne aut in familia secum habeant, aut frequenter conveniant, aut admittant. Si quis aliter fecerit, sciat se non modo sordium, sed malæ etiam suspicionis, in quam venerit, pœnas gravissimas subiturum.

Ne noctu post primam horam, nisi justa de causa & cum lumine, domo exeant.

*De Negotiis Secularibus a Clericis fugiendis.*

CLericus sacris initiatus, aut Ecclesiasticum habens Beneficium coram Judice seculari Advocati, aut Procuratoris nomine ne lites agat, nisi vel sua, vel Ecclesiæ suæ causa, exceptis Propinquorum, si necesse erit, & miserabilium hominum, & quidem a Nobis ad hoc facultate scripto prius impetrata.

Ne artem medicam faciat.

Ne in negotiationibus & mercaturis se institorem, interpretem, aut conciliatorem interponat. Negotiatio etiam omnis generis prohibita Clerico sit.

Ne Laicorum prædia lucri causa conducat, neve in agro operetur, aut quidquam agat & tractet, unde manus tanquam operarii & vindemiatoris concallescant & deturpentur.

Ne Laicis hominibus, multoque minus fœminis, quo-

quovis gradu & dignitate præditis, in ullo munere, aut officio, etiam Capellani, aut Præceptoris, vel quavis alia causa in eorum domo operam suam navet, nisi litteris nostris permissum ei fuerit. Qui secus fecerit, tandiu suspensus esto, quandiu Nobis videbitur.

*De reliqua vitae Clericalis moderatione.*

CLericus in omni sancta oratione se assidue exerceat, in mentali vero maxime & singulis diebus. Qui Canonicarum Horarum officio obstrictus est, stato tempore eas recitet ad præscriptam Calendarii nostri rationem ac ritum.

Quidquid temporis a Divinis Officiis, ab Oratione, & Contemplatione, ab reliquis Ecclesiasticis functionibus, atque ab aliis necessariis actionibus vacuum erit, ne in otio & desidia, multo vero minus in rerum novarum curiositate conterat, sed in litterarum divinarum studiis, reputans illud Domini: *quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris.*

Quotidie aliquid ex sacris Bibliis legat: studium Theologiæ dogmaticæ & moralis, ac sacrorum Canonum ne intermittat. Si sit ingenio tardo, quatuor saltem locos ex Catechismo Romano de duodecim Fidei articulis, de Sacramentis, de Decalogi præceptis, de Oratione Dominica in promptu & explicatos habere omni studio contendat: cumque iis & Præceptorum Ecclesiæ cognitionem, & Ecclesiasticorum Rituum & Ceremoniarum notitiam conjungat.

Libros de rebus jocosis, ridiculis, obscænis, inanibus, vulgari aut latino sermone conscriptos apud se ne habeat, aut legat. Imagines item domi suæ profa-

nas ne teneat, sed duntaxat quæ pietatis & Religionis argumentum, & adjumentum præbeant.

Si sit Sacerdos, Missæ Sacrificium, ea frequentia, religione, & sanctitate faciat, qua antea præscriptum est *De celebr. Miss.* Suspensus, & naturali aliqua causa impeditus singulis saltem Dominicis, & festis diebus sacram Communionem suscipiat.

In conversatione cum Laicis ita se habeat, ut neque ex nimia familiaritate nascatur contemptus, neque ex nimia austeritate, fastu, & pompa superbus, aut plus æquo elatus judicetur.

Qui contra has leges commiserit, subjacebit pœnis a jure canonico præscriptis, & aliis arbitrio nostro.

Singulis annis exercitiis spiritualibus operam dare Sacerdotes, & Clericos omnes vehementer hortamur ipsa eis proposita Clementis XI. Encyclica de spiritualibus exercitiis Ann. 1710. ad Episcopos transmissa.

*Inter gravissimas Pastoralis Officii curas, quibus SS. Dominus Noster assidue premitur, in eam praecipuo studio incumbit, ut quicunque in sortem Domini vocati sunt, praesertim vero Sacerdotes, & Animarum Rectores, tum Sacrarum litterarum, divinarumque rerum scientia, tum etiam vitae, morumque honestate caeteris antecellant, ac in omnibus juxta monitum Apostoli praebeant semetipsos exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Cum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiae membra, Dispensatores Mysteriorum Dei, Christiani Populi Duces & Magistri, Mediatores inter Deum, & Homines, Lucernae super candelabrum positae, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; nihil est, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quam illorum vita, & exemplum: omnes siquidem in ipsos, tanquam in speculum, oculos conjiciunt, ut inde sumere possint, quod*

*imi-*

*imitentur. Porro cum diuturna experientia compertum sit ad retinendam, conservandamque Sacerdotalis Ordinis Dignitatem, & Sanctimoniam maxime conducere, ut Ecclesiastici viri spiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, Ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad Divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur; proinde Sanctitas sua, pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, & saluberrimum exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur, ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, caeterosque tum Italiae, tum etiam Insularum adjacentium Ordinarios enixe admonet, ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque Diœcesi, quo majori poterunt conatu & studio, promovere satagant; preecipue vero iis districte injungit, ac praecipit, ut quae dudum S. Mem. Innocentius XI. P. M. per encyclicam Epistolam a Sacr. Congregat. Episcoporum, & Regularium consultationibus praeposita ad universos Italiae, Insularumque adjacentium Episcopos datam die 9. Octobr. 1682. quoad hujusmodi spiritualia exercitia a singulis Clericis decem dierum spatio, antequam ad sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exacte, ac inviolabiliter observari, & exequi curent, & quos iisdem exercitiis per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint, a S. Ordinatione repellant penitus, & arceant. Praeterea Sanctitas sua eosdem Ordinarios admonet, & hortatur, ut fructu, qui sane uberrimus ex praedictis spiritualibus exercitiis percipitur, opportune proposito, ac explicato, universos ex Clero sibi subjecto, sed praecipue Animarum Rectores, Confessarios,*

rios,

*rios, Canonicos, aliosque Beneficiatos Chori servitio adstrictos, diligenter excitent ad eadem exercitia saltem semel in anno peragenda in Domibus Religiosorum Societatis Jesu, seu Presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minus in alia Pia seu Regulari Domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda, & approbanda.*

*Ut autem alacrius ad ejusmodi spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas sua omnibus praefatis Animarum Rectoribus, Confessariis, Canonicis, Beneficiatis, aliisque Sacerdotibus, & Clericis, qui per decem dies singulis annis eadem exercitia peregerint in Domibus praefatis, ibique diu, noctuque permanserint, ac interea temporis vere pœnitentes, & confessi Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit; quod ipsum servari praecipit quoad Canonicos, Beneficiatos, aliosque Personali residentia obstrictos, & Chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, & quotidianas suorum respective Canonicatuum, & Beneficiorum distributiones quascunque, perinde ac si Choro, Divinisque Officiis personaliter interessent; dummodo tamen eadem exercitia peragant obtenta prius ab Ordinario licentia; a quo nullatenus concedenda erit Adventus, & Quadragesimae tempore, ac in solemnioribus Festivitatibus, nec unquam omnibus simul Canonicis, aliisque Choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ut Chori servitium nequaquam intermittatur, & quoad Parochos, idoneis prius subrogatis Œconomis, ab ipsomet Ordinario approbandis, qui Animarum curam lauda-*

*dubiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas sua, ut hae litterae publicentur in ista Diœcesi, & in Cancellariae regestis pro perenni eorum, quae in illis continentur, observantia, describantur, & ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio imposterum renovetur.*

*Quae omnia ita diligenter ab Amplit. Tuae vigili providentia, ac Pastorali solicitudine praestanda fore confidit S. Pater, ut a Sanctitate sua laudem, a cœlesti vero bonorum operum Retributore condigna praemia valeat promereri; & Amplit. Tuae copiosa Divinorum Charismatum incrementa ex animo precamur.*

## C A P. XVII.

### *De Canonicis.*

CUm Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam Disciplinam fuerint institutæ, ut qui eas obtinerent, pietate præcellentes & aliis exemplo essent, & Episcopos opera, consilioque juvarent: merito, qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint.

Quæcunque igitur de vestitu decenti, de honesta Clericorum vita & conversatione in hac Synodo sanximus, ea sunt a Canonicis Cathedralis, & Collegiatarum Ecclesiarum nostræ Diœcesis ita accurate observanda, ut & ipsi arctiore quadam Canonum custodia nomini respondeant, & reliqui Sacerdotes, ac Clerici studium, ac tanquam regulam cultus Divini ab illis mutuentur.

Quamquam autem plures a Decessoribus nostris, præsertim vero ab Ecclesiasticæ Disciplinæ in hac Pro-

vin-

vincia instauratore Francisco Barbaro Patriarcha vigilantissimo Constitutiones singulis nostræ Diœcesis Capitulis propositæ sunt, quia tamen nonnullæ, ut fert temporum morumque vicissitudo, aut negligi possunt, aut reformatione indigere, hæc in hac Synodo peculiariter præscribenda duximus..

Præcipuum Canonicorum munus esto, ut in Choro hymnis, & canticis Dei Nomen reverenter distincte ac devote laudent. Ne itaque putent suo se officio rite perfunctos esse, si cantum in alios deonerantes ipsi in Sedibus otiosi sedeant, aut submissa voce horas recitent, sed Decanus, Canonici, aliique omnes Choro addicti divinos Psalmos, & Hymnos cantent; aliter horarum, quas sine cantu recitaverint, distributionibus mulctentur, nisi quis cantare per valetudinem non possit. Pro temporis etiam & Officii ratione, ex instituto & more Ecclesiæ, sedeant, stent, flectant genua, caput aperiant, & inclinent: divinaque Officia non cursim & festinanter, sed distincte, & in medio cujuscunque versiculi Psalmorum servatis intervallis persolvant. Vaniloquia, & risum ne immisceant sub pœna distributionis amittendæ, aliisque ad arbitrium pro scandalo infligendis.

Ut vero abusus, si quis est, hac in re prorsus tollatur, in Choro, aut in Capitulo convocatis omnibus, qui Choro interesse debent, in singulos menses legi jubemus partem Epistolæ Encyclicæ jussu Clementis XI. fel. rec. editæ, quam idcirco hic subjicimus:

*E perchè è certissimo, che quelle stesse orazioni, che fatte con la dovuta religiosità, ed esatezza ci rendono degni delle celesti misericordie, se si fanno con trascuraggine, ed irriverenza, chiamano sopra di noi le maledizioni divine, secondo ciò, che è scritto:* maledictus homo qui facit negligenter opus Domini; *e ci ser-*

*servono non di merito, ma di colpa, conforme all'espressione del Profeta:* oratio ejus fiat in peccatum; *Perciò affinchè per ogni parte si tolgano, quanto è possibile, le cagioni de' pubblici gastighi sopra l'afflitta Cristianità, e risplenda nella Chiesa il dovuto decoro, e maestà delle sacre funzioni, vuole sua Beatitudine, che V. S.ª inculchi premurosamente alli Canonici, Beneficiati, Mansionarj, Cappellani, Chierici, ed altri Serventi tanto della sua Cattedrale, quanto delle Collegiate della sua Diocèsi l'obbligo strettissimo, che hanno d'assistere in Coro con ogni riverenza, silenzio, e modestia, come conviene alla presenza della tremenda Maestà dell' Altissimo, e di salmeggiarvi con divozione di cuore, e distinzione di voci senza precipitazione, o troncamento di parole, in modo che una parte del Coro non cominci un versetto prima, che l'altro non sia finito, e che il popolo possa intendere quel che si canta, ed essere eccitato a divozione, e compunzione in udire le divine lodi, avvertendoli, che se in ciò notabilmente mancano, non adempiscono il debito del ministero loro, e perciò ingiustamente ne tirano gli stipendj, e sono in conseguenza tenuti a restituirli; sopra di che sua Santità incarica gravemente la coscienza tanto di V. S. quanto de' Presidenti del Coro, se non faranno le debite diligenze, affinchè si osservi quanto di sopra si è detto, e quello, che di più deve osservarsi secondo la forma de' Sacri Canoni, e delle particolari Constituzioni di ciascheduna Chiesa, volendo, che li trasgressori siano severamente puniti con puntature, ed altre pene canoniche, e li Ministri, e Serventi amovibili anco con la remozione. Maggiore poi di qualsisia espressione dovrà esser l'attenzione, che ella è tenuta ad usare, affinchè il tremendo Sacrificio dell' Altare, di cui non vi è nel*

*Mon-*

*Mondo azione più santa, nè più divina, si offerisca da' suoi Sacerdoti non solo con quella interna purità, che conviene a chi quotidianamente dee porgere all' eterno Padre il Celeste Olocausto del suo Umanato Figliuolo; ma anco con quell' esterna divozione nell' esatta osservanza delle sacre Cerimonie prescritte dalle Rubriche, che si ricerca, affinchè chi è posto tra Dio, e gli Uomini per placar l' ira sua Divina non abbia con le proprie trascuratezze, e negligenze maggiormente ad irritarla.*

Etsi autem ne qua in parte cultus Divinus imminueretur, singulis horis certæ quædam distributiones assignatæ fuerunt, quas reciperent tantum qui interessent, reliqui iis carerent, quavis collusione, & remissione exclusa; cum tamen, si harum distributionum lucrum potissima causa sit, cur Divinum Officium quis frequentet, perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercari convincatur, Deoque mentiatur quotidie canens: *voluntarie sacrificabo tibi*; ad omnem suspicionem amoliendam Canonici, & Beneficiati, quocunque nomine censeantur, non solum illis Horis, & Festis diebus, quibus distributio pinguior, sed iis etiam, quibus exigua annexa est, intersint.

Statis horis Canonici omnes, Mansionarii, Capellani, aliique Choro addicti promptissime in Chorum conveniant. Qui extra Chorum moratur (nisi aut Confessiones in ipsa Ecclesia audiat, aut Missam opportuno tempore celebret, cum nempe hæc postulat vel debitum Ecclesiæ servitium, vel proprium cujusque officium) pro non interessente habeatur, quamvis intra parietes Ecclesiæ, aut Sacristiæ sit.

Et quoniam sacri Canones, & Constitutiones Patriarchales indulserunt, ut Canonici, aliique Choro addicti per certum ac præfinitum tempus ab Ecclesia abesse

esse possint, maxima tamen cura provideatur a Capitulis, ut, quantum fieri potest, nec Divinus cultus ullam imminutionem, nec res Capitulares damnum ullum ex ipsorum absentia accipiant. Iis itaque temporibus, quæ ut plurimum vindemiari solent, tertia saltem pars Canonicorum per turnum in Ecclesia semper adsit & inserviat, nec minori solemnitate Sacra peragantur, quam si omnes adessent. Mansionarii vero, aliique inferiores a residentiæ loco non abscedant, nisi impetrata a Capitulo facultate.

Declaramus autem, neminem neque Canonicum, neque Mansionarium, aut Capellanum concessa a Tridentina Synodo, & hujus Diœcesis Constitutionibus vacatione gaudere posse, nisi pro rata temporis, quo singulis annis Ecclesiæ suæ inservierit.

Omnes quotquot absunt Punctator diebus singulis notare ne omittat quacunque de causa, sive infirmitatis, sive muneris, sive alia absint: ut integrum sit Capitulo cognoscere, num justa, & a sacris Canonibus permissa causa abfuerint. Justa autem absentiæ causa esto præter infirmitatem evidens Ecclesiæ utilitas, quando nimirum Canonici vel in negotiis Capituli, aut Fabricæ Ecclesiæ; vel in negotiis Diœcesis Nobiscum, aut ex nostra commissione ad juris præscriptum occupantur; vel denique Nobis Missam, aut alia divina Officia publice celebrantibus assistunt & inserviunt. Nemo tamen diutius pro præsente habeatur, quam duraverit negotii, aut servitii necessitas, sed interea tantum dum in iis occupatus est, omni fraude & dolo seclusis. De ægrotis autem, quia sæpenumero bene etiam valentes se ægrotare affirmant, ut otio vacent, ideo mandamus ut prætentas ægritudines, eorum maxime, qui sine patenti causa frequenter absunt, inquirendi & examinandi cura præcipua in-

incumbat Punctatori, iisque quibus id propriis uniuscujusque Capituli Statutis demandatum est.

Studiose etiam Punctator exploret omnes, quicunque ii fuerint, qui contra has, aliasque probatas Capituli sui Constitutiones quidquam fecerint: qua in re nullius odio, amore, spe, aut metu moveatur.

Absentes & contumaces sive Canonicos, sive Mansionarios, sive Capellanos apud Nos opportuno tempore deferre Decanus, & Chori Præfectus ne omittat.

Capitula in singulas saltem hebdomadas habeantur, in quibus non id solum, quod ad rerum temporalium procurationem spectat; sed ea etiam, & quidem potissimum, quæ ad Divinum cultum, ad Chori disciplinam, ad Sacros Ritus, & Ceremonias, vitæque Ecclesiasticæ rationem pertinent, quærantur & constituantur, invocato primum Patre luminum, tum lecta alternis aliqua parte Statutorum proprii Capituli, & harum Synodalium Constitutionum, quæ scilicet de vita & honestate Clericorum, & de Canonicis sunt.

Canonici ad Capitulum statis diebus accedant, & aliis item diebus extra ordinem vocati conveniant omnes, neque cuiquam liceat ( Capitulo per Decanum, seu Præfectum non dimisso ) discedere, nisi ex causa ipsi Decano, aut Præfecto probata, & missione impetrata. Qui secus fecerit, Capituli arbitrio mulctetur.

Juxta institutionis ordinem secundum Decanum omnes Canonici suo loco sedeant, & ibidem remoto omni studio partium sententiam suam modeste proferant, & quidquid inspirante Domino senserint, nemine id ægre ferente, aut aliquo modo impediente, libere pronuntient. Postea vero tacitis suffragiis deliberetur; aliter Decretum quodcunque irritum & inane pronuntiamus. Quod si res talis fuerit, quæ maturiore consultatione indigeat, de majoris partis sen-

ten-

tentia in alium diem differatur; sin minus, illico deliberetur.

Si quis Canonicus in Capitulo non suo loco & ordine sedere, & sententiam dicere, aut dicentem alium interpellare audebit, eam ille pœnam solvat, quam Capitulum irrogarit.

Ejusdem Capituli arbitrio plectatur etiam quicunque jocose & scurriliter in Capitulo quidquam dixerit, aut fecerit.

Ne cui officium, quod sibi a Capitulo commissum fuerit, recusare liceat, nisi legitima de causa, quæ occultis suffragiis a Capitulo probetur. Qui sibi injuriam a Capitulo fieri putet, ad Nos confugiat.

Pacem inter se Canonici habeant, placide & tranquille invicem agant. Quod si, quæ humana imprudentia est, lites inter aliquos oboriantur, eas statim inter illos alii amice componere contendant; aliter ad Nos deferantur.

Quoties alicujus negotii secretum Canonicis indicendum fuerit, sub pœna præstiti initio a singulis juramenti indicatur; aut si eidem Capitulo videbitur, novum præstetur. Quocunque tamen jurejurando etiam ex statutis & constitutionibus ab Ecclesia probatis inter se obstricti, aut alia ratione spondeant, se nihil quidquam, quod in Capitulis, seu Canonicorum Conventu agitur divulgaturos, aut patefacturos cuiquam esse, eo decernimus ac declaramus, non obstrictum aut impeditum quemquam fore, quo minus ad Nos deferat, si qua vel Capituli, vel Canonicorum, vel aliorum, qui de Capitulo sunt, errata emendationem & correptionem nostram desiderent.

Bona Capituli, & Præbendarum cujuscunque generis & pretii Nobis inconsultis, & sine nostra scripta permissione, aut prætermissis aliis solemnitatibus a

jure requisitis ne alienentur sub pœnis a sacris Canonibus constitutis.

Singulis annis quædam fructuum portio seponatur ad quindennia præfinitis temporibus solvenda, & mensam ære alieno, si forte gravata sit, liberandam.

Codices, ac monumenta, quibus Capituli jura continentur, Archivii Custos nemini, ne Canonicis quidem, etiam ad breve tempus, tradat, nisi habita prius cautione, & ex causa ab ipso Capitulo probata.

Canonici, Mansionarii, aliique Beneficiati tabulas ad suum Canonicatum, Beneficium, & Officium spectantes, diligenter sepositas, & nota aliqua distinctas domi custodiant, ut cum obierint, eorum hæredes illas Capitulo restituant.

Singulos Capitulorum nostrorum Canonicos Theologos hortamur & monemus, ut ex præscripto sacrorum Canonum, & nostræ Diœcesis consuetudine majori qua possunt diligentia suas Lectiones habeant; ad quas Parochi omnes & Vicarii ipsis Capitulis subjecti, illi etiam, qui a Nobis insigniti fuerint munere Vicariatus Foranei, vocari & sub pœnis arbitrio nostro constituendis convenire debeant, aut legitimam excusationem afferre.

Canonici Pœnitentiarii, quo tempore solet esse frequentior Pœnitentium numerus, a residentia & ab Ecclesia ne absint.

Quæcunque pro recta Chori, Canonicorum, & Capituli disciplina sancita a Nobis sunt, ea curet Decanus, ut omnino observentur, & quotannis Nobis rationem reddat.

# CAP. XVIII.

## *De Vicariis Foraneis.*

PRæter ea, quæ pluribus aliis locis Vicariorum Foraneorum curæ mandavimus, munus eorum præcipuum esto, ut quæcunque tum in Visitatione, tum in nostris hisce Constitutionibus de constructionibus, reparationibus, instructionibus, & ornatu Ecclesiarum, Sacristiarum, Capellarum, & Altarium, sive singillatim, sive generatim mandata a Nobis sunt, non modo executioni mandentur, sed ut bene mandentur.

Ad hæc illa etiam, quæ de honestate in Ecclesiis servanda, de celebratione Missarum, & alia omnia, quæ Parochorum diligentiæ commissa sunt tam respectu ministerii Sacramentorum, quam aliorum quomodocunque ad Ipsorum Parochorum munus spectantium curent, & exequantur. Item vitam, mores, habitum, conversationes Clericorum, suspiciones etiam rationabiles de vita & moribus eorumdem intra fines sibi commissæ Regionis unusquisque Vicarius attente inspiciat, & inquirat, extrajudicialiter corrigat, & emendare contendat. Parochi vero quicunque, & quavis dignitate præditi tum in his, tum in aliis rebus, quæ ad Officium suum spectant, Vicariis Foraneis obtemperent. Si quid vel incorrigibilitate, vel rei natura gravius inciderit, ad Nos Vicarii Foranei diligentissime referant; & quæcunque alia hujus generis fecerint, aut curarint, ea scripto comprehendant, ut quandocunque requisiti fuerint, rationem administrationis suæ reddere valeant.

Illud autem unusquisque Vicarius Foraneus in animo semper habeat, se munus atque adeo onus sustine-

nere non leve, sed grave admodum ac plane multiplex, in quo scilicet Cleri pietas, moderatio morum, obedientia, rerum Sacrarum studium, virtutum exercitia continentur. Quamobrem is semper & omni loco in hujus muneris sui administratione talem & divino caritatis ardore, & sacrarum rerum studio, & vitæ morumque integritate, & doctrina, & virtutum officiis ac sancte factis se præbeat ac præstet, ut Clerus, cui præpositus est, exemplis præclaris in dies magis, & magis in omnem pietatem conformatus religione & sanctitate florens fructus ferat salutares & uberrimos. Super omnia vero caritatem erga alios habeant, & omnem tum in imperando, tum in objurgando asperitatem fugiant Vicarii Foranei, quæ eos ita quibuscunque suspectos reddere potest, ut plurimum detrimenti animarum gubernatio inde patiatur.

In rebus & juribus Ecclesiarum servandis, tuendis, & recuperandis solicite locorum Parochos urgeant, ne quid vel negligentia pereat, vel potentiorum cupiditate usurpetur. Si quid insolentius alicubi fiat, statim ad Nos omnia, & singula præscribant.

Post promulgatam Synodum intra mensem convocent Clerum suæ quisque Regionis, constanterque indicant & profiteantur, *ex commisso sibi Officio esse, ut omnia, quae ad Synodalium constitutionum executionem pertinent, ipsi assidue urgeant, neque patiantur quidquam vel nequitia inverti, vel negligentia omitti; si quis post primam & secundam monitionem Officium suum minus attente exequatur, se rem ad Nos delaturos esse, ne ipsi negligentiae arguantur.*

Quæ de Parochorum Residentia in hac Synodo decreta sunt, ea ut diligentissime observentur, sedulo invigilent Vicarii Foranei. Super eorum recessua Cura ex causa aliqua rationabili observent quæ *in Cap.*

*de*

*de Parochis* constituta sunt, atque in omnibus tale studium adhibeant, ut ab eorum pietate, diligentia, ac prudentia desiderari nihil possit.

Vicariorum Foraneorum munus etiam esto, cum aliquis ex Parochis suæ Regionis ægrotaverit, eum sæpe invisere: si gravius se habuerit, providere diligentius, ut necessaria tum spiritualia, tum temporalia ei ministrentur: si obierit, in suo libro scribant obitum ejus cum die, mense, & anno, ac statim Nos certiores faciant. Curent vero interea tum ægrotante Parocho, tum mortuo, ne cura animarum detrimentum patiatur: rerum & bonorum, quæ Parochus possederit, procurationem habeant, ne quid fraudis in præjudicium eorum, qui de jure ei succedere debebunt, committatur, neve codices, & libri ad Beneficium pertinentes pereant, invocato etiam super his, si opus fuerit, Brachio Seculari.

Alienigenas, peregrinos, vagosque Sacerdotes ne admittant, multoque minus illos permittant, se in Capellanos intrudere, nisi scriptam licentiam ab Officio nostro Patriarchali habuerint.

De Congregationibus autem totius Cleri a Vicariis Foraneis habendis hæc constituimus.

Vicarii Foranei Regionis sibi per Nos commissæ Parochos, & Confessarios quoscunque, Clericos item cujuscunque conditionis, semel in singulis mensibus ( duobus exceptis autumnalibus quos maluerint ) modo in unam, modo in aliam ejus Regionis Parochialem Ecclesiam cogant; idque in orbem eodem ordine semper faciant: atque hyeme quidem iis locis, ad quæ & accessus facilior sit, & iter brevius; si qua autem in Regione ob hyemis vim uno alterove mense convocandi non videbuntur, id Nobis inconsultis ne fiat.

Ut autem sine ullo Parochialis curæ detrimento, tam

utilis convocatio fiat, id Vicarii accurate provideant, ne Congregatio in diem Festum indicatur, neve in ea tempora, quæ in sacris Confessionibus audiendis, Sacramentis ministrandis, aliisque parochialibus muneribus gerendis consumi solent, & debent.

Ipse Vicarius Foraneus duodecim ante diebus, quam dicta Congregationis dies advenerit, de illa, de die, de loco, ubi futura est, Nos per litteras certiores faciat, ut si quando voluerimus aliquem jussu nostro Congregationi interesse, in tempore id facere possimus.

Parochus autem, apud quem conventus proximus habendus est, die Dominico antecedente constitutam illius diem Populo significet, eumque exhortetur, ut ad Ecclesiam frequens ea die conveniat ad divina Officia, ad concionem audiendam, & ad preces pro se, proque suis omnibus vivis, & defunctis fundendas. Pridie etiam diei conventus vesperi solemni Campanarum sono, & ipso quoque die conventus diluculo celebritatem hanc Populo significari Parochus curet.

Præstituta die summo mane quoad fieri poterit omnes & singuli ad indictæ Congregationis locum conveniant. Eos, qui sero convenerint, Vicarius Foraneus graviter commoneat, & quos sæpius hujus negligentiæ reos animadverterit, eorum nomina ad Nos deferat.

Primum autem universi in Choro Missam conventualem pro mortuis, vel de Sancto Spiritu, si ratio officii ejus diei id permittat: secus, de Sancto, de quo agitur, cum oratione de Spiritu Sancto solemni more cantent, celebrante Parocho ejus loci, ubi Congregatio habebitur.

Inter Missæ solemnia ad Populum concionem aliquis Parochorum convocatorum habeat, idque per turnum.

Post

Post Missam Processio fiat circa Cœmeterium cum precibus consuetis.

His peractis iterum se in Chorum recipiant omnes superpelliceo induti; ac ne controversiæ inter eos oriantur de præcedentia, jubemus, in Missa, & Processione omnes post Celebrantem assidere, & incedere secundum tempus suæ institutionis, ipsum etiam Vicarium Foraneum.

In ipsa Congregatione, dum casus leguntur, atque ea, quæ ad Cleri & Populi disciplinam, & Ecclesiarum cultum pertinent, inter se Parochi, & Vicarius Foraneus consulunt, Vicarius Foraneus locum priorem obtineat, & solus stolam adhibeat. Declaramus autem per hanc regulam, quæ hoc solum tempore valere debeat, nihil præjudicii illatum iri iis, qui Beneficio, gradu, aut prærogativa dignioris loci occupandi jus habent.

Initio Congregationis consuetas precationes Vicarius Foraneus recitet, cui cæteri respondeant: tum inter se sortiantur, de qua ex propositis quæstionibus quisque dicat, atque eo ordine Casuum decisiones unusquisque legat. Post hæc remotis omnibus aliis sive laicis, sive Clericis, Parochi soli, & Vicarius Foraneus inter se conferant, quæ ad boni Pastoris Officium, & ad Curam Animarum recte gerendam pertinent; & consultent de difficultatibus & incommodis Parochiarum, quorum explicatio & remedium aliorum consilio, atque opera indigeat. Præcipue autem de Presbyterorum, & Clericorum totius Regionis vita & moribus quærant, deque aliis omnibus, quæ initio hujus Capitis diximus ad Vicariorum Foraneorum curam pertinere.

Penes Vicarium Foraneum sit liber, in quo describantur singulæ Congregationes cum die, mense, & an-

anno: ipsi etiam casus, & decisiones per summa capita: nomina item Parochorum, & Animarum curam habentium, qui Congregationi interfuerint, nec non absentium vel excusatio legitima, vel contumacia. Si quis vel continenter, vel interrupte ter fuerit contumax, ad Nos statim referatur, ut in illum pro culpa animadvertamus.

Decisionum exempla singulis ad Nos mensibus perferantur.

Antequam Congregatio dimittatur Vicarius Foraneus certum illius, quæ proxima futura est, diem & locum constitutum indicat; itidemque admoneat, cui ex omnibus concionem ad Populum habere contingat: tum is, apud quem Congregatio celebranda erit, quæstiones in ea agitandas, decidendasque proponat. Ea vero sit quæstionum materia præcipua, quam hominum mores, & rerum, quæ in ea Regione, ubi Congregatio habetur, geri solent, actiones & negotiationes subministrabunt: utile etiam erit de Ecclesiæ ritibus, & ceremoniis aliquando disserere: in iis denique rebus quæstiones versentur, quæ ad casus conscientiæ, non ad ingenii exercitationem pertineant: usque adeo ut omnes rerum potius tractationem & usum, quam verborum argutias consectentur. Præterea in singulis Congregationibus aliqua pars nostrarum Synodalium Constitutionum distincte & attente legatur.

In Congregationibus frugalitas servetur: sit breve & simplex convivium collatione omnium, & communi Congregatorum impensa. Ipse Vicarius Foraneus provideat, ne in mensæ apparatu a frugalitate Sacerdotali, & modestia ullo unquam modo discedatur. Quicunque id culpæ admiserit, is, & Vicarius Foraneus, qui permiserit, aut non prohibuerit, duobus scutatis Venetis plectentur. Dum corpus alitur, mensa per

ali-

aliquod tempus condiatur sacræ Scripturæ lectione, ut etiam animus alatur. Ante & post fiat Benedictio, & gratiarum actio inchoante Vicario, & prosequentibus reliquis. In omni denique actu, gestu, sermone, atque officio unusquisque ita se gerat, ut caritatis, pietatis, devotionis, sobrietatis, humilitatis, & sanctitatis exempla ad Laicos dimanent. Si quis eo in loco, ubi Congregatio habetur, quidquam seu verbis, seu factis admiserit, quod præ indignitate animos incolarum offenderit, eum Vicarius Foraneus ad Nos deferat.

Nec vero putent Vicarii Foranei Officio suo satisfactum iri, si de his omnibus, & si quid proprie Nos mandaverimus, deque aliis, quæ ad Animarum utilitatem nostram cognitionem desiderant, per litteras tantum Nos certiores fecerint; singulis præterea annis inter Pascha & Pentecosten jubemus eos sub pœna dimissionis ab Officio ad Nos accedere, coram de omnibus relaturos, quæ ad suum Officium spectare quocunque modo possunt.

Indicem etiam quotannis Nobis exhibebunt omnium & singulorum Presbyterorum, & Clericorum, item Confessariorum suæ quisque Regionis, tum etiam eorum, qui eo anno extremum diem obierint, aut in alia loca profecti fuerint.

Tandem monemus, & in Domino quantum possumus enixe obsecramus, atque obtestamur omnes & singulos nostræ Diœcesis Vicarios Foraneos; ut pro Deo & propter Deum Evangelium non erubescant, sed de Clericorum, & Sacerdotum vita & moribus, & quomodo Parochi, & Confessarii in pastorali Officio se gerant, diligenter inquirant, & scrutentur non solum, sed ad Nos etiam fideliter, & diligentissime deferant, memores se alienorum peccatorum participes futuros,

No-

Nobisque in hoc, Deo autem in futuro seculo rationem muneris sui severissime reddituros, si vel peccatis conniveant; vel minus attenti sint in inquirendis suæ Regionis morum corruptelis, iis præsertim, quæ ad Ecclesiasticos pertinent; vel negligentes, aut infideles fuerint in deferendo ad Nos quidquid sciverint emendationem, & correctionem requirere.

Et quoniam hoc ipsum ad continendos in Officio Parochos, & Clerum omnem valere plurimum potest, præcipimus Vicariis Foraneis, ut in singulis Congregationibus postremam hujus capitis partem clare & distincte legendam curent.

## C A P. XIX.

### De Parochis.

#### *De Residentia Parochorum.*

SAcri Concilii Tridentini Decretis semel atque iterum ac sæpius actum psovisumque est, ut qui Curatas Ecclesias obtinent apud illas resideant, in illis munera propria personaliter obeant, & omnia præstent, quæ ab eo, qui Curam sustinet animarum, sacris Canonibus, consuetudine Ecclesiarum, Locorum necessitate præstanda sunt. Quod si qui otiose resident, ut lucra tantum captent, & reditus beneficiales uberiores habeant, & quæ facere ipsi deberent, per surrogatas personas omnia exequi studeant, iis aperte insinuatur, & intimatur, non illos residere, sed abesse potius: cum censeatur abesse Officio, qui corporali tantum præsentia adest otiose.

Idcirco præcipimus omnibus & singulis Ecclesias Parochiales, & alio quovis modo animarum curam haben-

bentes quocunque titulo etiam temporario obtinentibus, & quocunque nomine sive Archidiaconi, sive Archipresbyteri, sive Plebani, sive Parochi, sive Vicarii, sive Curati, sive Capellani Curati, sive Rectoris, sive aliter appellatis, ut apud Ecclesias sibi commissas ( sive multos habeant, sive paucos Parochianos ) sollicite resideant, & parochialis curæ munera atque officia non per alios, sed ipsimet, nisi justa causa aliquando prohibiti sint, obeant ac præstent: non obstante quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione etiam ratione cujuscunque Beneficii, pactione, statuto etiam juramento vel quacunque auctoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, ut ait Concilium Tridentinum; & sub pœnis (præter reatum mortalis culpæ ) per sacros Canones contra Clericos non residentes propositis, & aliis arbitrio nostro, ut res & necessitas postulaverit, infligendis.

Et quamvis a sacra Tridentina Synodo statutum sit, Rectores Ecclesiarum, quibus animarum Cura annexa est, ultra bimestre tempus non debere a suis Ecclesiis, nisi ex gravi causa, abesse; tamen nec intra hoc tempus a residendi munere discedere eis liceat ullam ob causam, ne ætatis quidem senilis, aut valetudinis, aut aeris insalubris, nisi licentia canonice obtenta. Quamobrem omnibus & singulis Archidiaconis, Archipresbyteris, Plebanis, aliisque, quos antea nominavimus, Parochiales, & quocunque nomine Ecclesias Curatas, quantumvis paucissimos incolas habentes, obtinentibus titulo etiam temporario indicimus, & mandamus, ut ab ipsis Ecclesiis, & Cura sibi commissa discedere nullo modo præsumant nisi licentia in scriptis a Nobis, seu Vicario nostro Generali, aut a Vica-

ca-

cario Foraneo loci respective, gratis & juxta Decretum subsequens impetrata, videlicet:

Si cui ex aliqua rationabili causa ab Ecclesia, & Cura per tempus aliquod opus fuerit, volumus, si absentiæ tempus non excedat tres dies, ut a nostro Vicario loci Foraneo licentiam in scriptis ante discessum poscat. Quod si ipsi Vicario Foraneo per tres itidem dies discedendum a Parochia sit, hanc ipse licentiam petat a seniori Parocho suæ Regionis: & si nullus in sui Vicariatus districtu Parochus sit, a viciniori Vicario Foraneo. Absentia vero hæc, etiam ad hoc breve tempus, non permittatur nec solemnibus anni diebus, nec sine æqua & legitima causa, nempe vel cum christiana caritas, vel urgens, aut saltem rationabilis necessitas, debita obedientia, atque evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas postulaverit.

Quod si ultra tres dies abesse necesse sit, a Nobis causa cognita, vel a Vicario nostro Generali in scriptis licentia impetranda erit. Necessitatibus tamen repentinis indulgentes, quibus interdum aliquis abstrahi in longiorem absentiam ex improviso potest, mandamus, illis Casibus licentiam a Vicario Foraneo, re prius cognita, in scriptis dari; Nobis vero discessum, & causam ejus quam primum ab eodem Vicario Foraneo significari. Quod si ipse Vicarius Foraneus discessurus sit, hæc omnia præstanda erunt, sicut antea jussimus, vel a seniori Parocho Regionis, vel a viciniori Vicario Foraneo. Supradictis autem Casibus statuimus, ab eo, qui discessurus est, approbatum a Nobis, seu approbandum Sacerdotem relinqui ad curam animarum recte sustinendam cum assignatione congruæ portionis fructuum.

Cum triduo minus Parochus aliquis a sua Parochia ab-

abfuturus est, eum sine alia licentia abire ita demum concedimus, ut id æqua ex causa semper faciat, & absque ullo Gregis sui detrimento: quod an ita sit, abscedentis conscientiæ relinquimus, quam speramus religiosam & timoratam fore, cum Deo corda pateant, cujus opus non fraudolenter agere suo quisque periculo tenetur; & nihilominus Vicarii Foranei diligenter invigilent, an suarum Regionum Parochi hac facultate abutantur, frequenter, aut sine æqua causa, aut cum Gregis detrimento a Parochia abscedendo etiam per biduum, aut brevius tempus.

Eos, qui urbibus, aut oppidis vicini sunt, & illuc ventitantes multum temporis a Parochia absunt, monemus, id tuta conscientia, & salvis de residentia legibus fieri non posse, quamvis interdiu tantum a Parochia absint, & noctu semper in Parochia sint, & quamvis etiam a Parochia non discedant, nisi peracto Missæ Sacrificio: quare ipsi se corrigant; aliter in eos graviter, tanquam in non residentes animadvertemus.

Parochus, cui ob aliquam causam Sacerdos alius socius & Coadjutor adjunctus est ad parochialem curam gerendam, ad residentiam nihilominus teneatur, & Officia, quæ potest, & quorum munus ei interdictum non sit, Gregi suo is etiam præstet. Adjunctum vero seu Coadjutorem iisdem residentiæ personalis legibus æque ac Parochum ipsum adstrictum esse declaramus.

Debent etiam Parochi suas domos, quas Canonicas vocant, habitare, quas reparari curent, si quid vetustate sublapsum sit, & decenti supellectili, rebusque necessariis instructas teneant. Illas Nobis inconsultis ne deserant, ut alias conducant, vel in propriis habitent. Si quis Parochus, etiam Urbanus, parochiale domicilium non habet, ubi habitet, domum intra Parochiæ

chiæ fines conducat quam proxime potest Ecclesiæ, cujus curæ præest, ut ad Sacramenta ministranda sit promptus. Item de Cooperatoris seu Coadjutoris ad munus Parochiale Parocho adjuncti, deque Capellanorum Curatorum Ecclesiarum Filialium habitatione decernimus, & constituimus.

### *Quibus diebus Parochi Sacrificium pro Populo offerre debeant.*

CUm divino Præcepto mandatum sit omnibus, quibus animarum Cura commissa est, Oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, divinique Verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; Nos quæ ad Verbi Dei prædicationem, & Sacramentorum administrationem attinent, quantum opus erat, satis jam constituisse in Domino confidimus.

Sed de frequenti Sacrificii pro populo oblatione multa sæpe cum oriantur dubia, ad ea tollenda visum est Nobis, nihil magis esse opportunum, quam hac de re sacræ Congregationis Concilii consulta referre.

Pervulgatum autem illud est anni 1681. in hæc verba: *Cum praecepto divino iis, quibus animarum cura commissa est, mandatum sit pro Ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si reditus pingues sint, singulis diebus: si vero tenues, saltem diebus festivis.*

Verum cum denuo in consultationem adducta res esset, quia grave admodum videbatur, Parochos quantumvis pingues reditus habentes debere singulis diebus Missæ Sacrificium facere pro populo, & ex alia

par-

parte dubitaretur etiam de Parochis non habentibus congruam: die 8. Februarii 1716. Sacra Congregatio Concilii propositis infrascriptis dubiis: *Primo an Parochi non habentes Congruam teneantur applicare Missam pro Populo saltem diebus festivis, ita ut cogendi sint in casu &c. Secundo an Parochi habentes pingues reditus teneantur quotidie Missam applicare pro populo;* Respondit *ad primum affirmative, censuitque danda esse decreta alias hac de re edita: Ad secundum negative, & hujusmodi dubia amplius non proponi mandavit.*

Unum adhuc dubium restaret, an Parochi, qui nihil a Populo recipiunt, debeant nihilominus Missæ Sacrificium iisdem diebus Festis pro populo applicare. Verum eadem sacra Congregatio Concilii die 29. Januarii an. 1724. respondit, *etiam Parochos, qui nihil a Populo recipiunt, cum id quod habent, consequantur a Dominis Castrorum, teneri Sacrificium offerre pro Populo diebus Festis, & ad mentem:* idest, si aliquo die festivo hujus generis Parochis, reditus parochiales tenues habentibus, eleemosyna pro Missa celebranda ab aliquo privato offeratur; Missam quidem eo die ad Populi commoditatem celebrent, Sacrificium vero pro Benefactore applicent; dummodo alia die feriali ejusdem hebdomadæ pro Populo aliam Missam applicent pro illa, quam antecedente die festo offerre debuerant.

Hæc igitur de Oblatione Missæ pro Populo ab omnibus & singulis, qui Parochiales Ecclesias, sive alio quocunque modo animarum curam habentes, & quocunque titulo etiam temporario obtinent, servari mandamus. Præterea, non quia dubitemus de Parochorum nostrorum probitate, & fide, verum ut & Zelus noster, & eorum obedientia, & religio omnibus in-

innotescat, præcipimus, ut in posterum unusquisque Parochus notet in certo libros dies, quibus Missam pro Populo obtulerit.

### *De Reliquis Parochorum Officiis.*

D*Epositum custodi*, inquit Apostolus; quod sibi Parochi dictum esse putent, ut in Grege, tanquam deposito fidei curæque suæ commisso diligenter custodiendo, atque ab omni peccati labe conservando, cogitationem sollicitudinem, curam, studium denique omne collocent.

Parochiæ igitur quisque suæ viciniam cum a cæteris vitiis omnibus omni vigilantia custodiant, tum curent maxime, ne odia, simultates, inimicitiæ, factiones, temere jurandi, maledicendi, imprecandi, & invicem detrahendi pravæ consuetudines in ea sint.

In primis vero reprehendant & exagitent vitia & peccata, ad quæ Populum procliviorem esse animadverterint: iisque corrigendis in omni mansuetudine, & caritate cum publice universos, tum privatim singulos admonendo, visitando, hortando, corripiendo diligentiam adhibeant. *Vae enim tacentibus, & dissimulantibus, si Grex eorum curae commissus perierit: sanguinem ejus de manibus eorum requiret justus & omnipotens Deus.*

Et quoniam Ecclesiæ disciplina id maxime postulat, ut ad Parochialem Ecclesiam Fideles sæpissime conveniant, idque eos ab Episcopis accurate moneri Tridentina Synodus voluit: Nos ejusdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteris Ecclesiæ exemplo adducti Parochis præcipimus, ut hanc Parochialis Ecclesiæ frequentationem sæpissime indicant, & quam vehementissime suadeant. Idem a Concionatoribus quoque per

suæ

suæ prædicationis tempora fieri crebris cohortationibus mandamus.

Ac ne ullam excusationem Populus prætendat, quominus ad proprii Parochi Missam, cæteraque divina Officia conveniant, Missam Parochi Dominicis ac Festis diebus circiter horam tertiam post Solis ortum celebrent, ne cujusquam gratia, aut metu eam anticipent, aut differant. Reliqua etiam divina Officia ea potissimum hora celebrentur, quæ Populo magis opportuna sit; cui rei Vicarii Foranei sedulo invigilent, & contrafacientes Parochos semel, atque iterum monitos, si se ter moniti non emendaverint, ad Nos deferant. In Pagis, & Vicis nemo celebret diebus festis ante Parochialem Missam & Concionem neque in ipsa Parochiali, neque in Filiabus, aliisque Ecclesiis, & Oratoriis etiam Campestribus, nisi justa caussa id Parochus permiserit.

Devotionem Fidelium augere strenue procurantes Parochi diebus quoque ferialibus Missam mane dato signo celebrent, quo tempore & Negotiatores, & Operæ convenire commode possint.

Singulis Dominicis, diebusque vel Ecclesiæ præcepto, vel consuetudine festis in Parochiali sua Ecclesia Parochus Vesperarum Officium cantet, datis prius, ut moris est, stata hora per Campanas signis.

Omnes autem Clerici, & Sacerdotes Capellani, aliique quocunque nomine appellari, in Ecclesia, in qua Missam celebrare solent, aut partem aliquam oblationum sive in Solemnitatibus, sive in Funeribus, sive alio tempore percipiunt: tum illi, qui vel institutione, vel consuetudine, vel alio jure Parochum, & alium quemvis Animarum Curatorem in divinis Officiis adjuvare debent, præsto sint horis suis, & superpelliceo induti ad ipsa divina Officia cum Parocho,

sive alio quovis Animarum Curatore celebranda conveniant.

Ad hæc laudabilem, & religiosam consuetudinem cum Populo recitandi in Ecclesia singulis Sabbathis, Dominicis, Festisque diebus Rosarium Beatissimæ Virginis Mariæ non solum, ubi ea viget, conservari & augeri volumus; sed in omnibus Parochiis, & Ecclesiis etiam Filialibus, in quibus divina Vesperarum Officia celebrari solent, inducendam Parochis mandamus: & quidem, ut in Parochiali Ecclesia ipsi, in Filialibus autem Capellani hoc pium opus & Officium præstent.

Parochi, cum possunt, auxiliarios Presbyteros, & Clericos suos vocent in partem obventionum Ecclesiasticarum, ut qui Altari servit, de Altari vivat.

Agnoscant Parochi suæ Parochiæ Pauperes, Viduas, Pupillos, ceterosque aliena ope indigentes, quibus & salutari consilio, & consolatione, & re subveniant hilariter, prout quisque potest. Quod si minus ipsi re possunt, primum hortentur alios ad eos sublevandos: deinde cum eorum gravior inopia deposcit, Festis diebus a pia Fidelium liberalitate aliquid in Ecclesia colligi curent, quod illis in eleemosynam conferatur.

A nimia cum Parochianis suis familiaritate abstineant: negotiis secularibus ne se temere immisceant: cum Baptismi Sacramentum Infanti ministraverint, ad convivium, quod a Parentibus infantis recens baptizati instrui solet, ne accedant: nuptialibus item epulis ne intersint, præsertim si sciant, aut suspicentur fore, ut in eis lusus, choreæ, & saltationes agantur, aut amatoria, & lasciva canantur.

Vetus & novum Testamentum, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, Summam S. Thomæ, Rituale Romanum, has nostras Synodales Constitutiones,

nes, & alios libros ad usum prædicationis, & ad difficultates, quæ in morum disciplina quotidie oriuntur, explicandas apud se Parochi habeant, eosque assiduo studio volvant.

In Ecclesiis Parochialibus, ubi Populi multitudo tam ingens est, ut unus Parochus Sacramentis ministrandis non sufficiat, præcipimus ipsis Parochis, & quibuscunque, ad quos spectat, ut sibi unum, aut duos Sacerdotes ad munia Parochialia de nostra scripta licentia assumant, prout locorum distantia, & Parochianorum multitudo requiret. Sicubi inopia Sacerdotum sit, aut per se ipsi Parochi, & Ecclesiarum Rectores providere huic necessitati non possint, ad nos recurrant.

Ubi ejusdem Ecclesiæ Parochialis cura duobus Pastoribus commissa est cum institutione perpetua, ut alterna vice & hebdomada, aut in propriis distinctisque locis curam animarum gerant, & Sacramenta administrent; utrumque jubemus ita muneri suo satisfacere, ut nullum hujus partitionis, seu divisionis in Sacramentis administrandis, & Doctrina Christiana tradenda discrimen habeant, nec requisiti a suis Parochianis excusare se unquam possint ea divisione, ac distinctione locorum, & dierum, seu hebdomadarum: quam declaramus ad solum usum Stolæ, & Functiones solemnes pertinere.

Neminem extraneum neque Laicum, neque Clericum, neque Regularem ( præter Capuccinos & Capuccinas nostræ Diœcesis ) paupertatis nomine de pulpito, aut de Altari commendent, qui scriptum a Nobis testimonium non attulerit. Diligenter vero sibi caveant a Falsariis, veluti si quis licentiam quæstuandi ad indefinitum tempus sibi concessam, vel in qua certa eleemosynæ taxa constituta sit, & hujus generis alia prætenderit.

Videant denique, & diligenter quotidie perpendant omnes & singuli Animarum Curatores, quæ sint & quam graves muneris sui partes; caveantque, ut in Officiis & curæ suæ functionibus non modo ne quid contra committant, sed etiam ne quid omittant, cum in Sacerdotali vita pro muneris, quod sustinent, ratione graviores, longeque plures quam in cæteris esse possint omissionis culpæ.

Unicuique Parocho liceat per alterius Parochiam transire, cum opus erit, ad Sacramenta suis Parochianis administranda, & funera ducenda; nec ullum ex hac mutua per alienam Parochiam transeundi facultate præjudicium esse factum in juribus parochialibus quisquam suspicetur.

Ægrotantem Parochum is Parochus, qui vicinior est, & Vicarius Foraneus, ut antea dictum est, statim invisant, cum ejus ægrotationem & morbum intellexerint: tum postea crebro eundem visant, eique omnia illa officia præstent, quæ ad animæ salutem pertinent. Sacram Eucharistiam, & cum tempus erit, Sacrum Extremæ Unctionis Oleum idem Parochus vicinior eidem ministret, & illius morientis animam Deo religiosis precibus commendet. Ejus mortui funus universi illius Vicariatus Foranei Parochi obeant, unusquisque pro ejusdem anima Missæ Sacrificium faciat, & omnes simul Missam Conventualem solemni ritu pro eodem celebrent. In toto autem funere, & in Missa Conventuali idem ipse, qui dictus est, Parochus vicinior omnibus præferatur, reliquis in sedendo, & incedendo eundem locum tenentibus, quem superiori capite eis assignavimus in Congregationibus foraneis. Quæcunque pietatis Officia mortuo Parocho superstites præstiterint, eorum nomine & causa nihil neque exigant, neque sponte oblatum accipiant,

ea-

eadem & ipsi singuli, cum Deo placuerit, ab aliis recepturi.

## CAP. XX.

### *De Œconomis Vacantium Ecclesiarum.*

CUm vacanti cuicunque Parochiali, & Curatæ Ecclesiæ, quamvis ejus collatio ad alios spectet, a Nobis Vicarius seu Œconomus deputandus sit, qui onera ipsius Ecclesiæ & Parochiæ totius sustineat, donec eidem de Rectore provideatur; Sacerdos ad id munus a Nobis electus commisso sibi Gregi invigilet, ut nihil, quod Populo proficuum fore prospexerit, per socordiam & desidiam prætereat. Norit enim se adinstar tutoris teneri de neglectis tam circa ea, quæ spiritualium, quam circa ea, quæ temporalium bonorum administrationem spectant. Quamobrem oves attente custodiat, verbo & exemplo pascat, inventarium Scripturarum ad Ecclesiam & Beneficium pertinentium conficiat, & reditus omnes, quos recipiet, & expensas, quas faciet, fideliter in libro describat, ut facile & prompte novo Rectori rationem reddere possit.

Populum sæpe hortetur, ut omni intima animi pietate a Deo Parochum præcentur, qui illius Ecclesiæ curam gerere recte valeat.

Decretum Decessorum nostrorum circa congruam Œconomo debitam confirmamus taxantes illam Ducatis quinque Venetis currentibus in singulos menses per totum Œconomiæ tempus. Adjudicamus præterea omnia emolumenta incerta ( exceptis oblationibus frugum & primitiarum, quæ certis ac statutis anni diebus ad Altare fieri solent, quas futuro Parocho integras reservari volumus ) a pia Fidelium liberalitate provenientia,

 & qua-

& quacunque de causa seu occasione laboris, & incommodi dari solita: item eleemosynas Missarum manuales: item Legatorum & Anniversariorum tunc temporis occurrentium. Hanc autem taxationem ita ubique servandam proponimus, ut si quando pensata qualitate Beneficii, & Loci, aliisque circumstantiis aliud declarari & decerni necesse fuerit, ad Nos recurratur.

Dum suo munere funguntur Œconomi, id etiam sedulo caveant, ne quidpiam, quod ad Ecclesiam sibi traditam in tutelam, sive ad ejus bona, sive jura pertineat, innovetur, idque si forte ipsi per se satis præstare non poterunt, Nos statim certiores faciant.

Si vacans Parochiale Beneficium jurispatronatus fuerit laicæ alicujus Communitatis; mandamus Vicario Foraneo ejus Regionis, aut ( ipso mortuo vel legitime impedito ) Parocho viciniori, ut ipsa die, qua ad eligendum Parochum seu Rectorem vacantis Ecclesiæ Communitas conveniet, orationem ad eos habeat de Parochorum Officiis, ut in ferendis suffragiis non ad carnem respiciant & sanguinem, aut ad amicorum seu potentum hominum voluntatem, etiamsi jurejurando se obstrinxissent, sed Dei honorem, & animarum salutem omnes & singuli sibi proponant. Simoniæ quoque crimen brevi, sed facili sermone idem explicet, ejus species & partes declarando, item adjuncta & consequentia. Eos autem, qui vacans Beneficium multis & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierint, eo facto ita reddi indignos ostendat, ut per biennium neque illud, neque aliud Beneficium iis conferendum esse judicaverint Patres Concilii I. Mediolanensis.

CAP.

## CAP. XXI.

*De dividendis Fructibus Beneficiariis inter haeredes defuncti Beneficiarii, & ejus Successorem.*

QUoniam experientia comperimus, in omni fere Parochorum mutatione inter hæredes defuncti Beneficiarii, & ejus Successorem de dividendis fructibus lites oriri, quibus novi Animarum Rectores non sine maximo commissi sibi Populi detrimento in alia distrahuntur, idcirco veteres hac de re Constitutiones emendantes hanc dividendorum imposterum hujus generis fructuum rationem præscribimus.

Totius anni fructibus omnibus beneficiariis tum naturalibus, tum industrialibus, tum civilibus cujuscunque generis in unum collatis summa conficiatur, ac deinde deductis expensis legitimis sic ii dividantur, ut ex omnibus & singulis tantum Decessoris Hæredes consequantur, quantum is Ecclesiæ servitii præstiterit eo anno pro rata temporis.

Si fructus ipsi vel nondum exacti, vel jam consumpti fuerint, æstimentur neque summo, neque infimo, sed mediocri prætio, & eodem modo dividantur.

Annus autem incipiat a die Festo Sanctorum Hermagoræ, & Fortunati, qui est XII. Julii: ita ut, si Decessor mortuus sit ex. gr. die XI. Augusti, ejus hæredes duodecimam partem a Successore consequantur fructuum omnium ejus anni cum exacti fuerint; item si moriatur XI. Junii, duodecimam partem fructuum omnium eo anno exactorum hæredes Decessoris tradant Successori; & sic rata fructuum ratæ temporis servitii præstiti respondeat: quod de dividendis etiam creditis fructuum ejus anni intelligi volumus.

Atque ut hæc divisio fieri recte possit, unusquisque Beneficiarius librum habeat, in quo diligentissime singulis annis describat fructus omnes beneficiales cujuscunque generis.

Inter Resignantem, & Resignatarium servetur quod in jure statutum est.

## CAP. XXII.

### *De Ecclesiis, Altaribus, & Sacristiis.*

AD eam sanctitatem, quæ domum Dei decet, in longitudinem dierum in Ecclesiis undique conservandam augendamque edicimus, & constituimus:

Ne in Ecclesia quidquam novi ædificii fiat; item ne nova Ecclesia, aut Oratorium extruatur; præterea ne Capellæ, & Altari erigendo locus in quavis Ecclesia cuiquam & quovis nomine detur; rursus ne Capella, aut Altare extruatur; tum ne sepulcra fiant; ne pavimentum quacunque ex causa rumpatur; ne quid denique destruatur sine nostra scripta facultate.

Ne in sepulcris, aut in Ecclesiis quovis loco epitaphia, elogia, inscriptiones, aut alia litterarum monumenta, nisi a nobis antea probata fiant, sculpantur, aut exarentur.

Ut Capsæ, vulgo Deposita cadaverum, si quæ sunt in Ecclesiis, destruantur illatis cineribus in sepulcra Ecclesiæ, aut Cœmeterium: neve posthac aliæ fiant.

Ut Ecclesiæ quæcunque dirutæ sive Curatæ, sive non; Sacella item, & Oratoria diruta reficiantur ad præscriptum Tridentini Concilii sess. 21. cap. 7. & restituantur quantocyus: lapides vero, cæmenta, & alia quævis materia eorumdem locorum ad profana ædificia ne adhibeantur.

Ut

Ut Vasa lapidea ad servandum oleum Lampadum in Ecclesiis ne sint.

Ut Crucis, & Christi Domini in ea affixi imago ligno, aut ære pie & decore expressa sub ipso Capellæ majoris fornicato arcu in omni Ecclesia præsertim Parochiali proponatur & apte collocetur: ubi autem præ depressiori humiliorique fornicis structura, & loco poni decore non poterit, alia ratione in ipso Capellæ majoris ingressu omnino statuatur.

Ut in uniuscujusque Ecclesiæ frontispicio, a superiori scilicet parte Ostii majoris affixum teneatur stemma nostrum quousque Deo placuerit Nos huic Ecclesiæ Sponsæ nostræ præesse, postea Successorum.

Ut Altaria omnia amoveantur, siqua subter suggestum, aut organum sunt, aut columnæ, vel pilæ hærentia, aut adversa Altari majori, aut Ecclesiæ januis nimis propinqua, aut denique alia quavis ratione incommoda & periculosa. Oblationes, emolumenta, jura, & onera Altarium, quæ amovebuntur, ad alia Altaria sine auctoritate nostra ne transferantur.

In Altaribus neque fenestella, neque foramen ulla ex parte sit, ubi quidquam asservari aut recondi possit præter Sanctorum reliquias.

Petra sacrata in Altaris mensam ita inseratur, ut nullum evertendi Calicis periculum sit: paullulum tamen extet, ut tactu sentiatur.

Habeat unumquodque Altare propria indumenta & ornamenta ac supellectilem omnem in nostra visitatione præscriptam tum ad ejus ornatum, tum ad Missæ Sacrificium in eo religiose & decore peragendum. Hoc autem vel propria Ecclesiæ, aut Altaris dote fiat, vel per eos præstetur, quibus potissimum ex fundatione, aut alio jure onus ejusmodi incumbit, vel per eos, qui in illud aliquod jus sibi esse jactant, sive

Uni-

Universitates sint, aut Sodalitates, sive Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ Fabricæ, aut piorum Locorum Curatores, sive Fundatorum aut Institutorum Hæredes, & Successores, sive alii. Si nulli ii sint, neque alia ratio occurrat id faciendi, ad Nos recurratur, ut juxta Concil. Trident. sess. 21. cap. 7. provideamus.

Effigies jumentorum, canum, piscium, atque aliarum brutarum animantium in Ecclesia, aut alio loco sacro ne fiant; nisi aliter Historiæ sacræ expressio ex Ecclesiæ consuetudine, aut voti alicujus pia significatio interdum fieri postulaverit.

Quibus in Ecclesiis feria quinta Hebdomadæ Majoris sepulcrum construitur ad asservandum triduo illo Christi Domini Corpus, sicut pretioso ornatu decorari debet, cum illud gloriosum fore Isaias prædixerit; ita cavendum est, ne in eo appareat profanus aliquis & parum decens ornamentorum apparatus. Ne igitur cubilis stragula, cortinæ, conopæa, seu tentoria usibus profanis assignata ad illud circumvestiendum, exornandumque adhibeantur; nisi hæc semel Ecclesiæ oblata, ejus propria fiant. Idem esto de vestibus & ornamentis, quibus sacra Sanctorum simulacra induuntur. Imo quoniam a Christiana pietate alienum est ad ornatum Templorum ea adhiberi, quæ non modo religionem non excitant, sed animos etiam ad nefarias cogitationes alliciunt; ideo ne illis ornandis peristromata, aulæaque adhibeantur figuris non undique castis contexta: neque item imagines, & signa apponantur, quæ vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum a loci sanctitate abhorrentium speciem referant.

Ne in Ecclesiis, aut pro foribus earum, neve in Oratoriis colligendæ eleemosynæ causa, ne ipsius quidem Ecclesiæ, aut ejus Fabricæ, aut Animarum Purgatorii, aut Rectoris nomine novæ capsulæ, vascula, men-

mensæ, & id generis alia collocentur, aut jam collocata in posterum relinquantur sine nostra scripta facultate.

A pulvere, situ, araneis crebo & Ecclesiæ totæ, & earum partes, item Oratoria mundentur, ac purgentur: pavimenta octavo quoque die diligenter verrantur: parietes ab omni sorde, a rubis præterea, hederis, & spinis, quæ extrinsecus adnasci solent, mundi conserventur.

Ex Cœmeteriis vites, arbores frugiferæ, & infrugiferæ cujusvis generis ( præter parvas & paucas oleas ante januas Ecclesiæ ) arbusta, & stirpes omnino excidantur; neve quidquam in iis conseratur. Ne fœnum, herbave virescens ex his succidatur, quæ bestiis pabulo detur. Ne telæ, & panni linei, alteriusve generis ibidem insolentur; neve ibi Feminæ, aut Mares quidquam neant, suantve, aut aliud opus faciant a sacrorum locorum dignitate alienum. Clathris autem ferreis, & ostiis in ingressu, & parietibus undique tuta ab animalibus defendantur, & Crux in medio collocetur.

Parochorum etiam cura esto, ne per Indulgentiæ, aut Stationis, aut alius solemnitatis tempora, vel in alio quovis Populi concursu in Ecclesiæ vestibulo, & in toto sacro solo quidquam venale cujuscunque generis exponatur, aut vendatur, invocato etiam, cum opus fuerit, Brachio seculari.

Campestrium Ecclesiarum claves Parochus, aut Capellanus apud se habeat: nihil in iis profani reponatur aut asservetur, & clausæ semper sint.

In Sacristia sint armaria capsulis seu loculis constructa ad sacra indumenta adservanda pro Ecclesiæ facultate, & supellectilis copia. Sit etiam labellum, & linteum ad manus abluendas, & abstergendas : item

Ca-

Calendarium anniversarium nostræ Diœcesis, & tabella Nomen nostrum exhibens majusculis litteris, ut Sacerdotes advenæ nominatim pro nobis orent in Canone. Præterea separato quantum potest loco adsit Oratorium, ubi Sacerdos se colligat, & oret ante & post Missam.

Ecclesiarum Rectores, aliique Ministri ne aulæa, peristromata, tapetia, vasa, atque alia cujuscunque generis Ecclesiæ & Sacristiæ addicta ad profanum & domesticum usum ullo modo unquam adhibeant, aut aliis adhibenda commodent, aut commodari sinant.

Ad Ecclesiarum custodiam ne admittantur, neque præficiantur nisi viri pii & idonei. Lampadum cura mulieri ne committatur.

Si qua, Parochialis præsertim, Ecclesia nondum dedicata fuerit, aut consecrationem per reædificationem amiserit, Rectores earum Nos admoneant, ut cum primum per alias, ac varias, maximasque hujus nostræ Diœcesis occupationes Nobis licuerit, eam solemniter consecremus. Ecclesias quoque, & Altaria, de quorum dedicatione dubitetur, nec scripturæ, aut testes existant, qui de illa fidem faciant, ut consecremus, quemadmodum jus Canonicum constituit, Parochi nos admoneant.

Ut autem firmum & perpetuum Consecrationis Ecclesiarum, & Altarium monumentum constet, uniuscujusque Ecclesiæ consecrationis diem, & annum in marmore incidi, & in pariete ab Ecclesiæ fronte supra januam majorem loco illustri collocari mandamus. Idem jubemus de Altarium majorum consecratione. Aliorum Altarium consecratio pictura saltem aliqua, aut alio signo exprimatur vel in Altari ipso, vel loco proximo. Encænia seu solemnes Ecclesiarum dedicationes ipsis, quibus factæ fuerint, diebus recurrenti-

bus,

bus, vel aliis, quos in ipsa consecratione Nos designaverimus, in perpetuum anniversaria solemnitate celebrentur, Rubricis servatis Breviarii, & Missalis Romani de occurrentibus, & concurrentibus eodem die Festis.

Sed cum item vasa, vestes, & ornamenta cujusvis generis ad usum sacrum comparata ex Ecclesiæ instituto benedici debeant; idcirco ea in Missæ Sacrificio, ceterisque divinis Officiis ne prius adhibeantur, quam a Nobis, aut a Vicario nostro, aut ab aliis, quibus talem facultatem dederimus, benedicta fuerint.

Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in Ecclesiam ingredi, hastam, sclopettos, balistas, & alia ejus generis in eam inferre liceat.

Sed quomodo in Ecclesiis versari deceat, Encyclicæ fel. rec. Clementis Papæ XI. litteræ ostendunt, quas idcirco hic imprimi volumus, easque Parochorum, Ecclesiarumque Rectorum fidei, & zelo pro domo Dei commendamus, & executioni mandari committimus.

*Premendo alla Santità di N. S. di soddisfare alle parti del suo Apostolico Ministero con andare estirpando, per quanto è possibile, dal Popolo Cristiano le offese, che si fanno al Sig. Dio, e quelle particolarmente, che cagionando pubblico scandalo portano più irreparabile rovina spirituale alle anime, e provocano maggiormente l'ira Divina sopra di Noi, ha posto l'occhio sino dal principio del suo Pontificato in primo luogo sopra l'abuso ormai troppo universale del poco rispetto, che si usa alle Chiese, le quali dovendo esser Case di Orazione pajono per la irreligiosità di molti mali Cristiani quasi ridotte a Case di libertà, e di peccati.*

*Mi ha però comandato espressamente la Santità Sua d'incaricare in suo nome a V. S. siccome a tutti gli al-*

*altri Ordinarj d'Italia, e delle Isole adiacenti, che con ogni studio e diligenza procurino di porgere rimedio all'inconveniente predetto, e di restituire alla Casa di Dio la riverenza, ed il rispetto, che l'è dovuto. Ed a tal effetto la Santità Sua rinnovando colla presente tutte le disposizioni de' sacri Canoni, Costituzioni, e Decreti Apostolici altre volte fatti, e promulgati da' Sommi Pontefici suoi Predecessori intorno alla stessa materia, vuole, che V. S.*

*I. Per mezzo di Prediche, e Sermoni, o con Editti, e Lettere Circolari istruisca, e faccia ben ponderare a' suoi Popoli quanto dispiaccia alla Maestà di Dio l'irriverenza nelle Chiese, insinuando le minaccie della Sacra Scrittura, ed i gastighi pubblici, come di Peste, Fame, Guerra, Terremoti, e simili, che per comune sentimento de Santi suole Dio specialmente mandare per vendicare gli affronti, che i mali Cristiani vanno a fargli nella sua propria Casa:* quoniam ultio Domini est ultio Templi sui. *In segno di che, come notano i medesimi Santi, non si trova, che Cristo N. S. castigasse colle sue proprie mani altro peccato, che questo, mentre con i flagelli scacciò i profanatori del Tempio.*

*II. Prescriva alli Confessori, che ammoniscano seriamente sopra di ciò li Penitenti.*

*III. Faccia specialmente avvertire le donne, che vengano alle Chiese colla dovuta modestia, ed umiltà, non con pompe, gale, vanità, ed ornamenti indecenti, nè con alterigia, e fasto più confacevole a' luoghi di libertà, e di feste profane, che al Santuario di Dio, ricordandosi, che alla Chiesa deve andarsi per placare l'ira Divina, non per irritarla, e non per commettere, e cagionare nuovi peccati, ma per cancellare i commessi: non potendosi udire senza orrore,*

*che a cagione dell' immodestia femminile si siano in alcuni luoghi le cose ridotte a segno, che in vece di andare alle Chiese per trovarvi la divozione, convenga talora fuggirne per non la perdere.*

*IV. Dove potrà farsi comodamente, si destini, ed assegni agli uomini luogo distinto, e separato da quello delle donne, nè si permetta, che gli uni si fermino, e stiano in quello delle altre, di maniera che resti tolta tra di loro ogni indecente comunicazione.*

*V. Insista onninamente, che nelle Chiese non si facciano colloquj profani, circoli, e strepiti, nè si trattino negozj, e molto meno si amoreggi; riprendendo con santo zelo i trasgressori, e castigandoli severamente, con implorare anco in caso di bisogno l' ajuto del Braccio secolare.*

*VI. Specialmente invigili, che al santo Sacrificio della Messa assistano tutti coll' attenzione, e religiosità, che conviene ad un Mistero sì venerabile, e mostrino anche esternamente di starvi presenti non pure col corpo, ma eziandio colla mente, e con divoto affetto del cuore.*

*VII. Ordini altresì agli Ecclesiastici, che nella divozione, modestia, e decoro in celebrare i Divini Uffizj, ed esercitare le altre sagre Funzioni si portino in guisa, che non abbiano a soggiacere alla maledizione intimata da Dio a chi fa l' opera sua negligentemente, e si tolga alli Secolari ogni occasione di scandalo, e di mal esempio.*

*VIII. Proveda parimente, che la stessa modestia, e divozione si osservi dal Clero, e dal Popolo nelle Processioni Ecclesiastiche, le quali essendo istituite per implorar grazie, e misericordie dal Signore, e per ringraziamento de' Benefizj da sua Divina Maestà ricevuti, devono essere accompagnate non da discorsi vani,*

*ni, e portamenti indecenti, che pur troppo si vedono, come se si andasse a diporto, ma da orazioni, ed altri atti di cristiana divozione, che possano essere graditi dal Signore Iddio, secondo l'intenzione di santa Chiesa.*

*IX. Molto più si faccia ciò osservare, quando nelle dette Processioni si porta il Santissimo Sacramento, o nelle Feste solenni, o per il Santo Viatico agl' infermi; nella quale occasione sarà molto lodevole, che per quanto potrà, procuri d'introdurre nella sua Diocesi l'osservanza delle Regole, ed Istruzioni sopra di ciò promulgate in quest' Alma Città di Roma l'anno 1695. per ordine della san. mem. di Papa Innocenzo XII. eccitando li Fedeli a rendere in quella sagra azione ogni più divoto ossequio al Venerabilissimo Sacramento dell' Altare, anco per conseguire li tesori spirituali delle sante Indulgenze a tal effetto concedute da' Sommi Pontefici, e specialmente dalla san. mem. di Papa Innocenzo XI. e susseguentemente dall' istesso Innocenzo XII.*

*X. Procuri, che le Feste, e solennità si celebrino con modestia, e divozione, e senza spettacoli, conviti smoderati, e profanità vietate da' Sacri Canoni, e che nelle Musiche si osservi il decoro Ecclesiastico senza mescolanza di parole non usate dalla Chiesa. In tali solennità, ancorchè maggiori, li Divini Uffizj, e Messe cantate si celebrino secondo gli approvati sagri Riti, ed alle ore prescritte dalle Rubriche, in modo che le Messe cantate non si prolunghino più, che al mezzo giorno, ed i Vesperi, e le Compiete oltre il tramontar del Sole: avvertendo, che alle 24. ore terminati siano tutti i Divini Uffizj: ed ogni altra sagra Funzione, e nella medesima ora siano serrate tutte le Chiese. E questa regola debba anco esattamente praticarsi nelle Vestizioni, e Velazioni delle Monache.*

*XI.*

*XI. In caso di trasgressione circa le predette cose, minacci con pubblici Editti, o in altre maniere, che stimerà più proprie, gravi pene, ed anche di proibire le sopraddette funzioni, e feste.*

*XII. Proibisca onninamente, e sotto gravi pene alli poveri, ed alli mendicanti l'andar cercando limosina per le Chiese, nascendo da ciò un gran disturbo alli divini Uffizj, ed alle orazioni de' Fedeli.*

*XIII. Ordini alli Parrochi l'invigilare, e correggere li delinquenti circa tutte le cose suddette, e, bisognando, il denunziarli al suo Tribunale, e castighi li stessi Parrochi, quando in ciò manchino.*

*XIV. Intimi la medesima vigilanza ed attenzione alli Superiori Regolari per le Chiese loro, ed in caso di contravvenzione o negligenza, oltre gli altri rimedj prescritti da' sagri Canoni ne dia parte a questa sacra Congregazione, che punirà i medesimi Superiori anco con la privazione de' loro Uffizj, ed altre pene più gravi.*

*Confida la Santità di N. S., che basterà questo semplice eccitamento al zelo di V. S. per animarla a compire esattamente in questa parte il suo debito Pastorale, per non essere incolpata al Tribunale di Dio di aver taciuto, quando conveniva alzar la voce, e la mano contro i profanatori del Santuario, e che però sarà ella per impiegare ogni studio, affine di provedere ad un disordine sì importante, e sì scandaloso, che in realtà ferisce il Paterno cuore della Santità Sua, la quale è risoluta di fare quanto è possibile dal canto suo, acciocchè si tolga questa abbominazione dal luogo santo, e che la nostra Italia, in cui risiede il Capo visibile della Chiesa, e posta come sotto i suoi occhi, possa anco in questa materia del rispetto alle Chiese servire d'esempio a tutte le altre Nazioni del*

*Cristianesimo, ed in tal maniera preservarsi da questi flagelli, che per gastigo delle nostre colpe pur troppo ci vengono presentemente minacciati dalla Divina giustizia.*

Ædiculæ, & pilæ in viis publicis constructæ cum sancta aliqua Imagine, vel Cruce in edito loco posita, aut alio modo expressa sartæ tectæ conserventur. Curetur item, ut aliæ ejusmodi ædiculæ, aut pilæ ad hominum pietatem excitandam certis congruis locis ædificentur. In triviis autem, in solo, & locis sordidis neque Crux, neque sacra ulla Imago pingatur, aut statuatur, neque ad deterrendos homines, ne eo mingant.

## C A P. XXIII.

### *De Divinis Officiis.*

CUm ea, quæ ad Missæ celebrationem, Sacramentorum administrationem, & ad Canonicos, & ad Parochos pertinent, suis quæque locis a Nobis antea disposita, & præscripta fuerint, restat nunc, ut pauca quædam, quæ de divinis Officiis in hoc caput reservavimus, constituamus.

Divina Officia ex ordine Calendarii nostri, & Missalis, ac Breviarii Rubricis, præscriptoque Ritualis Romani celebrentur, non obstante quacunque contraria consuetudine, etiam immemorabili, de qua, sicubi ea sit, certiores quamprimum fieri volumus tum a Parochis, tum a Vicariis Foraneis.

In urbibus, & oppidis nullum signum communium Officiorum Campanis detur ante signum dandum ab Ecclesia majori, maxime vero signa Angelicæ Salutationis meridianæ, & vespertinæ. Atque ut debitus honor

nior Matricibus, & dignioribus Ecclesiis reddatur, ne Seculares, Regularesque, etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, Campanam præsumant in Ecclesiis suis pulsare sub gravibus pœnis die Sabbathi Majoris Hebdomadæ, antequam ea, in Urbibus quidem ab Ecclesia majori, in Oppidis autem, Pagis, & Vicis a Matricibus Ecclesiis pulsata fuerit.

In Choro, & in Ecclesia nullus ministret sine superpelliceo, & indumentis, quæ pro ratione Officii præscripta sunt. Chorus ita vel sæpiatur, vel constituatur, ut tempore divinorum Officiorum Laici non ingrediantur, vel saltem a Clericis sejuncti sint.

Candelæ, Cerei, & Intortitia in Missa, & reliquis divinis Officiis ne ita sint vel exilia, vel exigua, ut avaritiæ, aut indecentiæ nota sacro Ordini inuratur. Cereus Paschalis quotannis benedicatur, neque in ulla Ecclesia sine præscripta anniversaria benedictione adhibeatur.

In divinis Officiis cantus, & soni nec profani, nec molles sint; sed graves, pii, ac distincti, ut simul auditores & verba intelligant, & ad pietatem excitentur.

De strepitu vero illo, & fragore, qui triduo Hebdomadæ sanctæ ad repræsentandam in Jesu Christi passione creatarum rerum perturbationem fieri solet, Ecclesiarum Præfecti curent, ut ab eo omnis licentia, & indecorus tumultus absit.

Itidem eorum, ad quos pertinet, cura esto, invocato etiam, ubi opus fuerit, Brachio seculari, ne Circulatores, Circumforanei, & id hominum genus in areis, & plateis, quæ sunt ante Ecclesias, tempore divinorum Officiorum versentur, & ludis, jocis, ac præstigiis suis Populum ab Ecclesia avocent.

Ne in Choro, Ecclesia, & Sacristia ea, quæ ad di-

vinorum Officiorum rationem & ritum pertinent, quisquam alius præcipiat, nisi is, cui id muneris competit. Non solum autem in Cathedrali, & Collegiatis, sed in aliis etiam nostræ Diœcesis Ecclesiis, ubi magnus est Sacerdotum numerus, aliquis sacris Ecclesiæ ceremoniis præficiatur, cui omnes in ritibus & Ecclesiasticis ceremoniis obediant.

Feria quinta in Cœna Domini in Cathedrali, & Collegiatis Canonici omnes, & Clerus reliquus Corpus Domini in solemni Missa sumant. Alios quoque Sacerdotes omnes ea die communicare volumus, eisque, ut in sua quisque Parochia id faciant, maximopere commendamus.

Quoniam autem in solemnitatibus Clericorum, & Sacerdotum concursus in Ecclesias, ubi illæ aguntur, solet esse aliquando adeo frequens, ut aliæ Ecclesiæ, quibus illi adscripti sunt, ob eorum absentiam debito ministerio & cultu iisdem festivis diebus careant; Nos ut huic malo occurramus, Vicariis Foraneis hanc curam mandamus, & committimus, ne id in posterum fiat, & si opus fuerit, Nos de omni re coram, vel scripto certiores faciant. Porro de frugalitate conviviorum, quæ per easdem solemnitates fieri inter Ecclesiasticos solent, eadem præcipimus, quæ in Congregationibus Foraneis antea in Cap. *De Vicariis Foraneis* servari mandavimus.

Quod jure canonico constitutum est, ut dies anniversarius consecrationis Episcopi in singulis Diœcesibus celebretur, id ut in nostra quoque retineatur, & sicubi intermissum est, in usum revocetur, statuimus, anniversarium Consecrationis nostræ diem in Calendario hujus Diœcesis notari, eumque a Sacerdotibus recoli vel ipsam Missam de consecratione Episcopi celebrando, si in feriam cadat, aut festum simplex, vel

adjungendo Orationes de ipsa Consecratione, si Missa de Dominica, aut de aliquo Sancto dicenda sit. Eundem nostræ Consecrationis anniversarium diem Populo quotannis Dominica antecedente significari a Parochis mandamus, ut is etiam pro pietate, qua erga Episcopum & Parentem suum esse debet, ad preces pro Nobis religiose adhibendas excitetur.

Anniversarium quoque diem obitus Decessoris nostri in eodem Calendario notari, & ab omni nostræ Diœcesis Clero quotannis integro Defunctorum Officio recoli mandamus.

Nimbis, & procellis imminentibus, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis est, Campanis sonetur tum ad tempestatem vi divina, quæ ex solemni prece, & sacra benedictione illis inest, depellendam, tum ut earum sono fideles ad Dei misericordiam implorandam excitati in Ecclesiam conveniant, vel saltem ubicunque sint sive domi, sive foris, calamitatem deprecentur, idque faciendum esse, Parochi illos paterne monere aliquando meminerint. Clerici vero, atque omnium maxime Parochi Psalmis, Litaniis, aliisque precibus divinam opem tum exorent: caveant tamen, ne alias preces adhibeant præter eas, quæ ad arcendas tempestates Romanæ Ecclesiæ ritu præscriptæ sunt: neve Sanctissimam Eucharistiam e Tabernaculo extrahant, sed si quando, quod rarissime fiat, Tabernaculi hostiolum aperiendum videbitur, ea serventur, quæ in Cap. *De Sacramento Eucharistiae* præscripta sunt.

## CAP. XXIV.

### *De Processionibus, & Funeribus.*

CUm publicæ solemnesque Processiones, aut aliæ supplicationes agendæ sunt, Conciones a Parochis antea habeantur, quibus præter cetera explicentur etiam causæ, ob quas illæ fiant; tum doceantur fideles quid agendum sit ad spirituales divitias, & gratias inde percipiendas. Quod cum semper præstandum a Parochis est, tum maxime in solemnitate Corporis Domini. Itaque die Dominico illam præcedente hæc paterna caritate, gravique sermone fideles præmoneantur, & incitentur: ut confessi vel ipso die solemni, vel intra octavam sacram Communionem sumant: ut pro facultate eleemosynam dent: ut pure casteque in Orationibus frequentes atque assidui sint, & in pietatis christianæ exercitiis versentur: ut pridie solemnitatis jejunent: ut solemnem Processionem supplices obeant, non e fenestris, superiorique loco spectent: ut tota octava ad Matutinum, & Vespertinum, aliarumque Canonicarum horarum Officium, & Missam frequentissimi conveniant. Atque ut omnium devotio magis & magis excitetur, Parochi diligentissime significabunt Indulgentias, quas Summi Pontifices ad hujus solemnitatis cultum augendum singulis his operibus concesserunt.

Volumus autem & mandamus, ut die solemni Corporis Christi in solis Parochialibus Ecclesiis processiones fiant, ad quas omnes Sacerdotes, & Clerici in suam quisque Parochiam conveniant, atque ii in primis, qui vel in parochiali Ecclesia, vel in Filialibus Capellas, aut Beneficia obtinent, aut eleemosynæ nomi-

mine ibidem Missam celebrare solent: modo alius Ecclesiæ ministerio addicti non sint. In Ecclesiis vero filialibus, ubi agendæ eadem die processionis mos est, ea vel in octava, vel intra octavam fiat, ad quam pariter conveniant Clerici, & Sacerdotes omnes, quos diximus. Quod si plures ejusdem Parochialis filiales Ecclesiæ fuerint, quibus idem jus sit, & contentio oriatur unde primum sit incipiendum, locorum consuetudo servetur, aut ratio antiquioris institutionis habeatur: denique prudentia sua Parochi lites omnes definiant; quod si ipsi non valeant, ad Nos confugiant.

In Civitatibus in majori Ecclesia, alibi vero in Parochiali semel in singulis mensibus Dominica prima vel tertia congruo tempore Processio Sanctissimi Corporis Christi fiat, quam ut majori celebritate & veneratione fideles prosequantur, eos Parochi ad sacram Communionem eo die percipiendam vehementer adhortentur, & Missam ipsi solemni ritu cantent.

In his autem Processionibus is luminum numerus, ornatus, ordo, apparatus, cantus, ceremoniæ, & comitatus ubique curetur, ut nihil sit, quod talem ac tantam Domini nostri solemnitatem dedeceat. Quamobrem Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus curæ sit, quod in Cap. *de Sacram. Euchar.* de erigendis, fovendisque Sodalitatibus Corporis Christi constituimus.

Sed cum de omnibus Processionibus hoc ipsum providendum sit, ut summa religione & pietate agantur; ideo Laici a Clericis, fœminæ a viris separatæ sint; omnes ordine, graviter, & modeste procedant: nullis colloquiis omnino, sed psalmis, hymnis, & sacris precibus tantum operam dent: in via ne subsistant: actiones & spectacula pro foribus ædium, aut in via, qua transit Processio, ne fiant: musicis & cujusvis

genereris instrumentis in Processionibus ne sonetur: Processionum duces, & præfecti ubique sint.

Decet etiam, Regulares, & Confraternitates cum ad Ecclesiam, ubi supplicandi causa statio fiet, pervenerint, non recedere, sed eodem ordine ad Ecclesiam, unde Processio discessit, redire omnes, & precibus ac benedictioni assistere usque ad finem.

Nulla nova supplicatio, seu Processio Nobis inconsultis quacunque de causa fiat, neque a Regularibus.

In Processionibus votivis ea omnia rite solvantur, quæ Deo sunt vota. Cum autem dedeceat, supplicationes longioris itineris agere, quam ut unica die terminari possint, & in quibus viri, & fœminæ ad proprias ædes redire non valentes extra domum pernoctare cogantur vel in Ecclesiis, vel aliis locis cum evidenti periculo offensæ Dei, & scandali: monemus propterea, & hortamur Christi fideles, ut eas abbreviari, & pernoctationes hujusmodi valde periculosas tolli curent.

Edendi, & bibendi consuetudinem inter sacras Processiones, agrorumque lustrationes omnino damnamus, & tolli volumus. Si quæ panis, & vini eleemosynæ pii etiam legati jure, aut alio quovis nomine distribui debent, earum distributio ne per processionum, & supplicationum tempora, sed postea fiat.

## *De Funeribus.*

CUm mortuus efferendus erit, Clerus, qui ad funus vocabitur, primum in mortui Parochiam conveniat, deinde omnes superpelliceo, & clericali biretto, non galero induti, bini procedant ad defuncti domum, tum eodem ordine canentes psalmos, aliasque sacras preces mortuum ab ejus ædibus ad Ecclesiam

comitentur; atque hic omnes Cadaver suo item ordine circumstent, præscripta in Rituali Rom. Officia celebrent, nec ante discedant, quam Corpus in sepulcrum illatum fuerit.

Sodalitates, quæ ad funera suorum Confratrum sine sacco accedunt, non ante, sed post feretrum incedant, quæ cum sacco comparent, ante ipsum feretrum suis locis & ordine procedant. Mulieres tamen, etiam ejusdem sodalitatis, post feretrum semper & a viris separatæ binæ sine Sacerdote, sine Cruce, aut alio sodalitatis ipsius vexillo sequantur.

## C A P. XXV.

### *De Indulgentiis.*

DE sanctis Indulgentiis tractatio, pro ut usuvenerit, accurate in concionibus habeatur a Parochis, ut & earum cœlestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria Populus intelligat.

Indulgentias promulgare nemini liceat cujuscunque gradus, & conditionis sit, antequam illæ a Nobis, seu Vicario nostro visæ, recognitæ, & approbatæ fuerint.

Parochi item omnes, & Concionatores commoneant, ne circumforaneis quibusdam, atque etiam cum privilegio impressis libellis, qui ex levibus, aut superstitiosis causis, incertisque revelationibus nimias & modum omnem excedentes pollicentur Indulgentias, fides temere habeatur, maxime si promissiones contineant certorum effectuum, velut periculorum evitationem, & securitatem a gladiis, a tormentis, ab aquis, a peste, & alia id genus.

Si Indulgentiæ ad septennium concessæ, eo elapso

re-

renovatæ non sint, amoveantur ab Ecclesia, & Altaribus tabulæ eisdem inscriptæ.

Si Indulgentiarum Brevibus apposita sit illa clausula: *volumus, ut si alias Christi fidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint:* sciant Parochi, & Ecclesiarum Rectores, Apostolicas Indulgentiarum litteras minime irritas reddi per Indulgentias vel Altaribus pro Defunctis, vel certo personarum generi, Confraternitati, Regularibus, Capitulo certum pium opus in dicta Ecclesia peragentibus, Litanias aliasque hujusmodi preces recitantibus, Doctrinam christianam docentibus discentibusque, Sanctissimæ Eucharistiæ cum oratione quadraginta horarum Expositioni assistentibus, vel adinstar Stationum Urbis, & septem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, vel quæ pro unica vice tantum conceduntur; sed per alias omnes sive plenarias, sive non plenarias, sive in perpetuum, sive ad tempus, sive ab eodem, sive ab alio Pontifice generatim Christi fidelibus Ecclesiam illam, vel aliquod ejus Altare, seu Capellam eadem anni die vel diversa visitantibus concessas, de quibus nullam faciant prædictæ Apostolicæ Litteræ mentionem.

Demum provideant quam diligentissime Parochi, & Ecclesiarum Rectores, ne Indulgentiæ ad turpem quæstum convertantur.

## CAP. XXVI.

### *De Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus.*

Reliquias Sanctorum in Cœlo regnantium, quæ viva fuerunt Christi membra, & Spiritus Sancti tem-

templùm, in honore haberi pietas præcipit, Christiana ratio suadet. Quia vero hujus honoris est norma tradenda, ut disposita quadam ratione honor, qui habetur, eluceat, hæc præcipimus.

Nemini, ne Regularibus quidem, aliterque Exemptis ullas novas Sanctorum reliquias evulgare, & populo exponere, ac venerandas colendasque proponere liceat, antequam a Nobis recognitæ, & probatæ sint.

Quæ probabuntur aut probatæ sunt, & certis diebus exponi in Ecclesiis solent, ne in privatis Ædibus & apud Laicos homines, sed in Ecclesiis loco conspicuo, bene septo, & undique ornato asserventur arcis, vel capsulis, vel vasibus ita inclusæ, ut aliqua ex parte per crystallum videantur.

Locus autem, ubi asservantur, duabus clavibus dissimilibus muniatur, quas Parochi, & Ecclesiarum Rectores apud se habeant, nisi aliter ferat vel consuetudo legitime præscripta, vel conditio ab eo, qui Reliquias donaverit, adjecta.

Laicus, Clericusque in Minoribus constitutus sacras Reliquias ne tractato, tangitove.

Ad ægrotos sacræ Reliquiæ nunquam publice deferantur.

Ne circumferantur Reliquiæ, aut in Ecclesiis exponantur ad eleemosynas conquirendas quacunque ex causa.

## *De Imaginibus.*

PArochi summo studio rudem Populum edoceant, quis sit legitimus in Ecclesia sacrarum imaginum usus, & qua ratione Divini Numinis, Christi, Angelorum, ceterorumque Sanctorum Imagines pingi, & hono-

norari debeant; cujus rei doctrinam hauriant præcipue ex Tridentino Concilio, & Catechismo Romano.

Quod ejusdem Tridentini Concilii Decreto cautum est, Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus quibuscunque maximopere mandamus, ne ullo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam imaginem poni sinant: Sanctorum vero Imagines, & alias quæcunque usu, & Christiana pietate probatæ jam sunt, ita pingi & exornari curent, ut nihil usquam inepti, nihil profani, nihil indecori, nihil denique inhonesti, unde fidelium mentes & oculi offendi quocunque modo possint, in ipsis conspiciatur.

Cruces, & Sanctorum Imagines non ante in Altaribus collocentur, & fidelibus colendæ exhibeantur, quam solemniter sint ex Ecclesiæ ritu benedictæ.

Cum sacræ tabulæ, & Imagines nimia vetustate, carie, situ, & sordibus eviluerint, aut renoventur, aut si id non potest, deleantur, & in ignem conjiciantur: cineres in fossis sacri soli contegantur.

Et quia interdum accidit, ut ab imperito vulgo, & credulis fœminis Ostenta sacrarum Imaginum, & miracula temere proferantur, hoc etiam Parochi, & Vicarii Foranei summopere studeant, ut ubi tale aliquid contigerit, omni novitati, & populi concursui obsistant, & cum res postulaverit, statim ad Nos referant.

## C A P. XXVII.

### *De Oblationibus.*

OBlationum institutum ab Apostolicis usque temporibus usitatum, & Apostolico Canone, Sanctissimorumque Pontificum constitutionibus, & Conciliorum

rum

rum decretis firmatum diligenter servari, & sicubi intermissum est, ad usum revocari convenit.

Norint propterea fideles, licet oblationum natura & ratio ea esse videatur, ut a libera offerentium voluntate pendeant, sæpe tamen eas debitas esse, nec sine peccato posse denegari. Nulli tamen Parochi præsumant eos, qui oblationes non reddiderint, Sacramentis subtrahendis punire; sed ad Nos recurrant.

Porro sive debitæ sint oblationes, sive voluntariæ, cum Populus ad eas invitatur, id graviter, modeste & sine ulla avaritiæ suspicione fiat; ne opus, quod antiqua Ecclesiæ consuetudine ad Dei honorem, & Populi salutem institutum est, ad impium quæstum traducatur. Et ut hoc omnino vitetur, omnes talium oblationum, aut eleemosynarum nondum perceptarum venditiones, locationes, contractus, pactiones etiam secretas, omnibus, etiam Parochis, prohibemus sub pœnis arbitrio nostro.

Oblationes ad Missæ Offertorium fiant: accedant primum mares, deinde fœminæ: offerentibus nunquam patena, sed crux, aut sacra aliqua imago osculanda præbeatur.

Ut autem gratius Deo sit quod offertur, moneantur fideles, ut ad offerendum accedant intima animi pietate, spirituali hilaritate, sancta caritate, omnique christianæ devotionis significatione. Qui odia fovent, & inimicitias gerunt, item qui alio nomine publice criminosi sunt, & publicam peccandi offensionem afferunt, eorum oblationes ne accipiantur.

Oblationes omnes sint Parochorum, nisi vel conventione, vel legitima consuetudine, vel alia justa de causa earum percipiendarum jus alii competat.

CAP.

## CAP. XXVIII.

### *De Exorcismis, & Benedictionibus.*

NUllus Sacerdos, aut Clericus neque Secularis, neque Regularis exorcismum Energumenis adhibeat, nisi exorcizandi facultatem scripto a Nobis obtinuerit.

Quicunque facultatem exorcizandi habuerit, non solum teneat ea signa, quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui revera tales non sunt, verum etiam ante quam exorcizare quemvis aggrediatur, cognoscat in primis ejus vitam, mores, & actiones: medicum præterea, si expedire censuerit, consulat & adhibeat, ut intelligat, utrum quod obsessus agit, proveniat ex morbi alicujus, aut bilis atræ vi; an sponte ac dissimulanter id faciat; an denique Dæmonis alicujus, & malorum spirituum vexatione.

Ne ante ortum, nec vero post occasum Solis exorcismus adhibeatur, neque in ædibus laicalibus, & locis privatis ( nisi necessitas, aut rationabilis causa a Nobis probanda aliter exigat ) sed in Ecclesia, loco aperto & conspicuo, separatim tamen a multitudine, paucisque viris præsentibus honestis, & ætate gravibus, inque iis uno aut altero Ecclesiastico. Energumenæ autem exorcismo adsit præterea una & altera fœmina ætate, & moribus probata, & si fieri potest, energumenæ consanguinea aut affinis.

Ne duos uno eodemque tempore quisquam exorcizet.

Exorcista graviter, pie, ac religiose se gerat: pridie quam exorcismum adhibeat, jejunio, & oratione se præparet: tum confessus, & Missæ sacro facto magna cum humilitate, ac fide, & memor potestatis,

quam a Domino accepit expellendi Dæmones, ad Exorcismum accedat. Ejus autem causa & occasione non modo quæstum omnem fugiat, sed ne doni quidem, aut muneris quidquam accipiat.

Energumenis exorcismum ne adhibere incipiat, nisi prius ( modo mentis compotes sint ) confessis: quin imo ad hoc eos cohortetur, ut omnis ante actæ vitæ peccata diligenti conscientiæ examine confiteantur; tum sæpe eos moneat, ut precibus, ac sanctis meditationibus, pietatisque operibus se dent; & si corpore valent, Ecclesias sæpe visitent: jejunent præterea sexta quaque feria: super omnia vero ad actus fidei eos excitet.

Caveat, dum exorcizat, ne Energumenæ caput, humeros, aut manum tangat: ne Energumenum, aut Energumenam super Altare imponat: neve quidquam agat, quod offensionem præbeat.

Aliis exorcismis, precibus, ritibusque, quam qui præscripti in Rituali Romano sunt, ne utatur: imo nihil iis addat, detrahat, nihilque immutet.

Caveat etiam, ne in exorcismis quidquam curiose inquirat, præsertim quod ad divinationem pertineat: alia denique observet omnia, quæ in Romano Rituali præscribuntur.

## *De Benedictionibus.*

BEnedicendi munus ex præscriptis in Rituali Romano formulis ne quis temere sibi assumat; tantum Parochis, & Vicariis Foraneis reservatum volumus; ita tamen ut suæ quisque tantum Parochiæ, seu Regionis sive homines, sive esculenta, sive bestias, sive domos, sive fruges & agros benedicant, nisi amplio-

pliorem a Nobis facultatem impetraverint, sub pœnis arbitrio nostro.

Quanquam autem certissimum est valere Ecclesiæ benedictiones tum contra spirituales nequitias, tum etiam adversus naturales malorum causas; tamen caveant, qui benedicunt, ne vanas, mulierum præsertim, suspiciones de maleficiis, veneficiis, fascinis aliquo modo foveant, aut occasionem præbeant quidquam eo de genere temere opinandi.

Benedicant semper capite aperto & stantes. Benedictionis gratia nequid, quod dedeceat, super Altare ponatur, velut esculenta: sed si quid ejusmodi benedicendum erit, ponatur super aliquod scamnum.

Benedictiones contra mures, locustas, & hujus generis animalia præter communem super fruges & vineas, quæ est in Rituali Romano, sine nostra scripta facultate nemo adhibeat.

## C A P. XXIX.

### *De Seminario.*

CUm multa divinitus a Sanctissimis Tridentini Concilii Patribus instituta sunt, tum illud præclare, quod Seminaria esse voluerunt, in quibus certus, ac selectus adolescentum numerus ad omne Ecclesiasticæ disciplinæ genus informaretur, & in spem Ecclesiæ aleretur. Hoc nos quoque spectantes, cum huc primum accessimus, nihil antiquius magisque e nostro Patriarchali munere esse duximus, quam ut ejusdem Concilii Decretis inhæreremus, & præcipuam Seminarii Aquilejensis curam haberemus. Cum itaque jam pridem Constitutiones ad Seminarii optimam administrationem, pietatem, ac scientiam magis promovendam fe-

ce-

terimus, eas præsenti Synodo confirmamus, exequendasque mandamus. Illud hic tantum præcipimus.

I. Rectori, ut det operam diligentissime, ut præscriptæ Constitutiones & regulæ omnes & singulæ sancte & accurate serventur: easque propterea identidem coram omnibus legi curet, quo sæpius repetitæ mentibus inhæreant, & diligentius custodiantur. Studeat vero in primis, ut quæ ad spiritualem progressum spectant, recte atque ordine fiant: ut quotidianæ, & alias statæ preces, & spiritualia exercitia nisi necessaria de causa non intermittantur: divinæque gloriæ amplificationem, Clericorum in omni virtute progressum semper ante oculos habeat, & ad hunc finem omnem cogitationem, omnem curam, omnem operam referat. Curet præterea diligenter, ut adolescentes Præfectis, & Magistris Seminarii in iis, quæ eorum muneris sunt, pareant, eosque qua debent reverentia & observantia prosequantur. Eorum vero, atque adeo universæ familiæ mores, & in suo cujusque officio diligentiam attente observet, ut cum opus sit de statu cujusque docere Nos possit.

II. Præceptoribus, ut summam curam adhibeant, ut Seminarii Alumni & litteris, & pietate imbuantur: libros omnes, qui animarum candori, atque innocentiæ aliquam aspergere labem possunt, exulare ab eorum manibus jubeant ac diligenter amoveant, reputantes, Ecclesiæ probos, & idoneos Ministros instituendos sibi esse.

III. Præfectis, ut suo munere fungantur quam diligentissime: nunquam eo tempore, quo adolescentum sibi commissorum curam habere debent, ab eis avertant oculos, nusquam discedant: dent sedulo operam, ut modeste semper se gerant, & silentium, in quo magna posita est disciplinæ pars,

 cer-

certis locis atque horis ex Seminarii legibus religiose custodiant.

## CAP. XXX.

### *De Monialibus*.

MOnialium, quarum dicata Deo virginitas diligenti Episcoporum vigilantia custodienda est, ingressum in Monasteria, professionem, vitam, ac disciplinam attente inspicere, attentius promovere; & summa solicitudine tueri ac defendere Episcopali oneri convenit. Sed cum a Decessoribus nostris, & a Nobis etiam in nostra Visitatione multa & universis & singulis nostræ Diœcesis Monasteriis constituta sint; omnia nunc repetere non est necesse; sed confirmatis & iis, quæ a Nobis, & iis, quæ a Decessoribus nostris statuta sunt Decretis nostris non contraria, visum est nunc pauca hæc inculcare.

I. Virgines antequam Religionis habitum induant & solemnia vota profiteantur, spiritualibus exercitiis decem dies dent operam: iisdemque exercitiis omnes Moniales quotannis vacare mandamus juxta Innocentii XI. & Clementis XI. Constitutiones.

II. Nulla inter sacras Virgines cooptetur, nisi ante probe teneat, cujusmodi sit ea Regula, cujus legibus vitam omnem traducere, & Jesu Christo servire cogitat.

III. Sumptis religiosis vestibus toto anno, quo in tyrocinio sese exercet, instruatur potissimum ad omne Religionis, & votorum, quæ professura est, officium & munus.

IV. Mense antequam solemniter Virgo profiteatur, Abbatissa, vel quæ ejus locum tenet, Nos de ejusdem

pro-

professione facienda certiores faciat, ut possimus eam congruo examine experiri, & num in vocatione & proposito constanter ac libera voluntate perseveret, cognoscamus.

V. Dotes Monialium sive intra, sive extra numerum receptarum ne distrahantur sine nostra facultate, neque ulla puella ad Religionem admittatur, nisi dote integra præsenti pecunia deposita.

VI. Superiorissæ Monasteriorum litteras pastorales, quas a Nobis acceperint, integras legant Monialibus in Capitulum convocatis, & cum Confessario ordinario communicent.

VII. Confessarios ordinarios tertio quoque anno mutabimus: de extraordinariis etiam id observabimus, quod a Tridentino Concilio, & a Romano Pontifice decretum est.

VIII. Claves Monasterii Superiorissa semper custodiat, ne cujuspiam arbitrio fores occludi & aperiri sinat: Officio denique suo recte fungatur, cum ejus diligentia & vigili cura omnia, quæ ad Moniales pertinent, contineantur.

IX. Nimiis sumptibus in vestiario, & professione Monialium fieri solitis modum adhibere cupientes, ea, quæ Pontificiis Constitutionibus hac super re præscripta sunt, omnia & singula observari mandamus.

### *De Regularium accessu ad Monasteria Monialium.*

NUlli Regulari cujuscunque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, Instituti, gradus, qualitatis & dignitatis, etiam de quibus specialis mentio habenda esset (exceptis Superiore, cui Monasterii, seu domus cura incumbit, Visitatore, vel Visita-

toribus, & Confessario tum ordinario, tum extraordinario, cum ad tempus deputabitur, ) liceat accedere ad Monasteria, seu domos quarumcumque Monialium seu Sororum sive sui, sive alius cujusvis Ordinis ad colloquendum seu tractandum cum illis, aut aliis intra clausuram degentibus, sive universis, sive singulis etiam per quodcunque modicum temporis spatium sub pœna, præter reatum mortalis culpæ, excommunicationis, aliisque a sacra Congregatione præscriptis.

Regularibus item a Nobis in nostras Ecclesias, & Monasteria, & a Superioribus Regularibus in proprias Ecclesias, & Monasteria ad celebrandum vel prædicandum missis, ne ullo quæsito colore vel prætextu Moniales, Sorores, & quamcunque aliam personam intra clausuram degentem alloquantur, eadem lege, eisdemque pœnis edicimus.

Interdicimus pariter cuicunque Regulari sacrum facere, & conciones habere in Monialium Ecclesiis nostræ jurisdictioni subjectis sine nostro scripto permissu.

Justa tamen & rationabili causa poscente facultatem dabimus cuivis Regulari, ut quolibet anno per quatuor vices convenire, & alloqui possit Moniales sibi in primo, & secundo consanguinitatis gradu conjunctas, ex præscripta tamen forma sacræ Congregationis.

## CAP. XXXI.

### *De Regularibus.*

CUm a fel. rec. Benedicto Papa XIII. in Regularium favorem aliæ alias Constitutiones emanaverint, quas fel. mem. Clemens Papa XII. moderatus de-

in-

inceps est: Nos, ut veritas omnibus innotescat, hic Bullas ipsas Clementis XII. apponendas censuimus.

*Clemens Episcopus Servus Servorum Dei*
*Ad perpetuam rei memoriam.*

*ROmanus Pontifex, quem Cœlestis Paterfamilias Vineae suae custodiendae praeposuit, diu noctuque operarios impigre in ea laborantes circumspicit, congruam, imo amplam mercedem eis largiturus, ut Vinea, probis agricolis hoc pacto ad eam alacrius excolendam incumbentibus, uberiori proventu fructificare possit.*

*Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII. strenuas Ordinum Regularium, & Mendicantium Cohortes hanc Domini vineam, atque agrum Ecclesiae indesinenter colere conspicatus, ac paterno erga eos animo affectus, quo etiam Nos utique ipsi afficimur, plura eis privilegia concessit, ratus ea pari voluntate universim excipienda: quod tamen secus evenisse, Nos ad supremi Sacerdotii apicem disponente Domino evecti aegre intelleximus; inde nimirum praeter omnem expectationem nostram variis litibus, & controversiis exortis, ac nisi opportune occurratur, fortasse imposterum exorituris. Quare nonnullis ex hujusmodi litteris & Constitutionibus Apostolicis mature perpensis, ad sedandos rumores propterea excitatos, mutuamque, & vere christianam inter Episcopos, & Regulares familias, ac etiam Seculares Ordines, & Sodalitates, publicasque Universitates benevolentiam, & pacem ubique in Ecclesia servandam de consilio nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus Nostrae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in hanc sententiam devenimus, ut subsequentibus litteris*

*teris & Constitutionibus Apostolicis eodem Pontifice Benedicto sedente vulgatis moderationem aliquam auctoritate nostra adhibendam esse decerneremus. Litterae vero ipsae & Constitutiones Ordinibus Regularibus pridem concessae hae sunt.*

*Editae IV. idus Decembris anno Domini* 1725., *quae incipiunt:* Paterna.

*Aliae IX. Kalendas Junias anni* 1726., *quae incipiunt:* Ratio Apostolici Ministerii,

*Aliae III. nonas Julias ejusdem anni, quae incipiunt:* Singularis devotio.

*Aliae VIII. Augusti ejusdem anni, quae incipiunt:* Exponi Nobis nuper fecerunt.

*Aliae Kalendis Septembris ejusdem anni, quae incipiunt:* Vitæ & morum integritas.

*Aliae Kalendis Januarii anni* 1727., *quae incipiunt:* Libenter.

*Aliae V. nonas Martias ejusdem anni, quae incipiunt:* Loca Sancta.

*Aliae Kalendis Aprilis ejusdem anni, quae incipiunt:* Ex quo Sedes.

*Aliae V. nonas Aprilis ejusdem anni, quae incipiunt:* Summe decet.

*Aliae VII. Kalendas Junias ejusdem anni, quae incipiunt:* Pretiosus, *una cum declarationibus sub die* 28. *Septembris anni* 1728. *ab eodem Pontifice factis super quibusdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipsa Constitutione contentarum exortis.*

*Aliae XXI. Martii anni* 1729., *quae incipiunt:* Exponi Nobis fecit.

*Aliae demum VII. Kalendas Aprilis ejusdem anni* 1729., *quae incipiunt:* In Sede.

*Quamvis autem haec omnia & singula ex ejusdem recol. mem. Benedicti pia & laudabili erga Regularium*

Fa-

*Familias voluntate profecta fuerint, quos ipse ob eorum Zelum de salute animarum, Religionis fervorem, doctrinam, & Regularis disciplinae observantiam magna ac verę paterna dilectione prosequebatur, Nosque ipsi aeque prosequimur, concessa, extensa, decreta, confirmata, & declarata fuerint; Nos tamen, qui post varias altercationes, & difficultates de iisdem litteris & Constitutionibus excitatas optatam S. Dei Ecclesiae tranquillitatem prae oculis habemus, volentes, ut universis Dominici Gregis Pastoribus, ac praesertim Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in partem sollcitudinis nostrae vocatis liberum jurium suorum, quae Summi Dei gloriam, & animarum salutem respiciunt, in illorum Diœcesibus exercitium servetur, quaeque illud quomodocunque impedire, & laedere fortasse possunt, pro virili nostra penitus amovere cupientes, quemadmodum alias Romani Pontifices Antecessores Nostri saepius egerunt; Nos quoque ad praeservandum iisdem Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac quibuscunque aliis Ordinibus ac cœtibus Ecclesiasticis, & Secularibus suorum jurium exercitium & possessionem, amovendamque quarumcunque dissensionum, & litium occasionem, ex concessa Nobis divinitus Apostolicae Potestatis plenitudine, eorumdem Antecessorum Nostrorum Pontificum Romanorum vestigiis inhaerentes statuimus, & decernimus, de omnibus & singulis praedictis litteris & Constitutionibus, quae ab eodem Antecessore Nostro Benedicto prodierunt; nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iisdem contentis, eam deinceps decisionem, ac judicium etiam in foro conscientiae habendum, quod sive ex jure communi, sive ex Concilio Tridentino, sive ex Decretis & Constitutio-*

*nibus Apostolicis, sive alias legitime habebatur, antequam eaedem litterae & declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanassent: ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum omnia superius enunciata omnino reducimus, & reducta esse volumus; ita ut imposterum supradicti Ordines regulares earumdem litterarum & Constitutionum usu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur.*

*Hinc ad praemissorum effectum pro nullis & infectis haberi volumus omnia Decreta irritantia, prohibitiones, declarationes, mandata, & quaecunque in litteris & Constitutionibus praedictis quomodolibet apposita, atque alia eorumdem occasione facta, huic reductioni, Decreto, & voluntati Nostrae quomodocunque adversantia, quibuscunque ea essent concepta formulis, ac praeservationibus, declarationibus, modificationibus, restrictionibus, explicationibus, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & inviolabilibus clausulis, praesertim quod semper in data cuicunque Constitutioni illarum revocatoriae, imposterum edendae, posteriores censeantur; etiam motu proprio, & potestatis pari plenitudine, ac ex certa scientia, etiam consistorialiter, etiam pro conservatione status Regularis, etiam in vim contractus, & stipulationis inter Sedem Apostolicam, & Ordines praedictos initae, quam ad hujusmodi effectum rescindimus, & ex nunc rescissam, nulliusque roboris & momenti esse volumus, & decernimus. Ideoque omnes dissensiones, altercationes, & lites coram quibuscunque Judicibus ordinariis, extraordinariis, & Commissariis, etiam causarum Palatii nostri auditoribus, & S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam de latere Legatis, nec non quacunque eorumdem Cardinalium Congregatione, praedi-*

*dictarum litterarum & Constitutionum occasione jam motas, necdum decisas, aut finitas, vel etiam, quae jam decisae essent, si modo tractum habeant successivum, easque rursus imposterum excitari contingat, juxta juris communis, Concilii Tridentini, Decretorum & Constitutionum Apostolicarum, ac praesentem hanc nostram dispositionem, nec aliter, decidendas esse praecipimus. Futura vero dubia, & difficultates, ubicunque & quandocunque oriantur, ad Nos & Sedem Apostolicam, ad quam Pontificiarum Constitutionum, atque Ecclesiasticarum Sanctionum interpretatio pertinet, referenda esse decernimus.*

*Itaque omnia & singula hactenus memorata, nec non praesentes, etiam ex eo, quod causae, ob quas emanaverint, comprobatae, expressae, & verificatae, aut in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque iisdem consenserint: vel alias ex quocunque capite, praetextu, colore, ingenio, vel causa, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, sive alio quovis defectu notari, & impugnari, argui, infringi, retractari, in jus vel controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut contra eas quodvis gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; sed eas, ac omnia & singula in iis contenta semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inviolabiliter observari, omnino statuimus; sicque & non alias per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Nostri Auditores, ac praedictae S. Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictae-*

que

*que Sedis Nuncios, quavis auctoritate & facultate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alia judicandi, definiendi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, definiri, & interpretari debere ; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaratum esse volumus: non obstantibus praemissis, nec non Nostra & Cancellariae Apostolicae regula* de jure quæsito non tollendo, *nec non omnibus & singulis praedicti Benedicti Decessoris, ac declarationibus super dubiis, aliisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnium & singulorum Ordinum praedictorum, ac eorum cujuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, etiam Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatis, litterisque Apostolicis sub quibuscunque tenoribus & formis, cum quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque Decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium & singulorum tenores iisdem praesentibus pro plene & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime & plenissime hac vice dumtaxat specialiter,*

*& ex-*

*& expresse derogamus, caeterisque quomodolibet contrariis quibuscunque.*

*Volumus autem, ut eaedem praesentes in valvis Basilicarum S. Joannis in Laterano, & Principis Apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Florae, ut moris est, affixae, quoscunque illae respiciunt, arctent & afficiant, perinde ac si unicuique coram & personaliter intimatae fuissent, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.*

*Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostri statuti, decreti, voluntatis, moderationis, & reductionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

*Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1732. tertio Kalendas Aprilis Pontificatus Nostri anno secundo.*

*A. Card. Datarius*
*F. Card. Oliverius*

*Clemens Papa XII.*
*Ad futuram rei memoriam.*

*CUm, sicut accepimus, etsi ex ipso tenore Constitutionis Nostrae tertio Kalendas Aprilis anno Incarnationis Dominicae 1732., quae incipit:* Romanus Pontifex, *promulgatae perspicue luculenterque appareat, per moderationem a Nobis inibi adhibitam nonnisi ad terminos juris redactam fuisse inter alia Constitutionem fel. rec. Benedicti Papae XIII. Praedecessoris Nostri, cujus initium est:* Pretiosus &c. *anno ejusdem Incarnationis Dominicae 1727. septimo Kalendas Junii emanatam, ejusque declarationes, ac privilegia illa, gratias, favores, indulta, exemptiones, facultates, & declarationes, quae ibidem Ordini Fratrum Praedicatorum de novo concessa fuerunt: nihilominus aliqui Constitutionem Nostram sinistre, ac secus, quam par est, interpretantes, plerasque lites & controversias Fratribus praedictis moverint in diversis locis, ac Tribunalibus, per quas privilegia & praerogativas, quibus iidem Fratres, priusquam ipsa Constitutio Benedicti Predecessoris emanaret, ex aliis legitimis titulis & concessionibus Apostolicis potiebantur, aggredi & oppugnare adnituntur; dictusque Ordo praecipue vexetur occasione celebrationis duarum Processionum, publicarumve supplicationum, SS. nempe Eucharistiae Sacramenti, ac Rosarii B. Mariae Virginis, tametsi illam SS. Eucharistiae Sacramenti die Dominica infra octavam Corporis Christi a rec. mem. Pio V. & Clemente VIII. Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris juxta ejusdem Clementis Praedecessoris die 8. Martii 1597. alteram vero Rosarii B. Mariae Virginis Dominica prima Octobris ab ipso Benedicto Prae-*

de-

*decessore per suas die 10. Aprilis 1725. in simili forma Brevis respective expeditas litteras, nec non declarationem die decima octava Julii 1726. desuper editam, quotannis peragendi facultas eidem Ordini diserte indulta fuerit; adeoque ante memoratam Benedicti Praedecessoris Constitutionem, in qua ejusque declarationibus Ordini praedicto nihil amplius circa duas Processiones praefatas tribuitur, quam quod jam antea per eosdem Pium, Clementem, & Benedictum Praedecessores attributum fuerat: & quia mens & intentio Nostra non est, nec unquam fuit, gratiis, indultis, exemptionibus, & privilegiis dicto Ordini Fratrum Praedicatorum ante enarratam Benedicti Praedecessoris Constitutionem concessis, praesertim respectu duarum Processionum hujusmodi, aliquod vel minimum generare praejudicium; Hinc est, quod Nos lites & controversias praefatas e medio tollere, earumque occasionem, & quodvis aliud in praemissis impedimentum submovere cupientes, nec non Ordinem, & Fratres praedictos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsorumque Fratrum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supradictas Clementis, & Benedicti Praedecessorum litteras, editamque ab eodem Benedicto Praedecessore declarationem quoad duas Processiones, publicasve supplicationes praefatas cum omnibus & singulis in iisdem litteris & declaratione dispositis & contentis, auctoritate Apostolica harum serie approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis*

*ro-*

*robur adjicimus, ac illa deinceps exacte observari, atque executioni demandari, eadem auctoritate tenore praesentium praecipimus, & mandamus. Decernentes, praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac Ordini, & Fratribus praedictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Sedisque Apostolicae Nuncios, aliosve quoslibet quacunque praeeminentia & potestate fungentes, ac functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus & singulis, quae in Clementis, & Benedicti Praedecessorum litteris & declaratione praefatis concessa sunt, non obstare, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.*

*Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1733. Pontificatus Nostri Anno tertio.*

*F. Card. Oliverius.*

Quas

QUas nostras Constitutiones Synodales in Synodo nostra prima Diœcesana Aquilejensi editas habito Consilio Fratrum nostrorum DD. Decani, Canonicorum, & Capituli Aquilejensis mandamus in tota nostra Diœcesi ab omnibus & singulis cujuscunque conditionis Sacerdotibus, & Clericis pro cujusque dignitate, gradu, & officio diligenter observari, declarantes earum vi, & pœnis unumquemque post secundum a die promulgationis mensem obligari, ac teneri; & contra quoscunque inobedientes inquisitum & processum iri. Quæ vero his Constitutionibus comprehensa non sunt, juris communis dispositioni subesse pronunciamus: declarationem illorum, quæ declaratione egerent, Nobis reservamus, Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto gratias agentes. Amen.



# EX ACTIS SYNODI

*Instantia facta Illustrissimo & Reverendissimo D. D. Patriarchae die 23. Augusti 1740. per admodum R. D. Josephum Binum Archipresbyt. Glemonae Procuratorem Synodalem Cleri in tertia sessione Synodi habitae Utini in Ecclesia S. Antonii Abbatis.*

PErniciosus inolevit abusus, Illustrissime & Reverendissime Patriarcha, ut quandoque in litteris institutionum pro Beneficiatis expediri solitis, atque in Circularibus, aliisve, quæ a Curia Patriarchali pro temporum exigentia mittuntur, epistolis enuncietur Ecclesia, Beneficium, seu institutus in ea Sacerdos cum denominationibus dissonis a vero statu, & Originario titulo ipsiusmet Ecclesiæ, aut Beneficii; unde fit, ut in Ecclesiastica Hierarchia confusiones quamplurimæ, ac fecundissima litigiorum semina in scandalum Clericalis Ordinis, ac perniciem Beneficiorum, & Populorum oriantur. Quapropter ego Josephus Bini Procurator hujus Cleri humillime peto, ac insto, ut Amplitudo Vestra Illustrissima & Reverendissima dignetur prædicto abusui occurrere, ac per Decretum Patriarchalibus Constitutionibus inserendum statuere, ut deinceps, quantum fieri potest, in novis institutionum litteris, aut supradictis epistolis apponendæ per Cancellarium Patriarchalem denominationes, enunciativæ, ac nomenclaturæ consonæ sint, convenientesque titulis Originariis, vero statui, aliisque justificatis, seu justificandis fundamentis cujuscunque Ecclesiæ, seu Beneficii, non obstantibus, quæ per priora tempora inscriptæ fuissent, denominationibus, enunciativis, aut nomenclaturis contrariis, ac dissonis a

ve-

vero statu, titulo, ac fundamentis supradictis; declarando, per eas nullatenus, etiamsi ex certa scientia appositæ fuissent, quidquam novi juris acquiri posse, ac potuisse juxta Clemen. *Si summus* de sent. excom. aliorumque SS. Cann. sanctionem.

*Sequitur Decretum.*

ILlustrissimus & Reverendissimus D. D. DANIEL DELPHINUS Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Aquilejensis suprascriptis petitionibus & instantiis universi Cleri Aquilejen. per adm. Rev. Josephum Bini Archipresb. Glemonæ, & ejusdem Cleri Procuratorem sibi humiliter porrectis inclinatus, per hoc suum Decretum, ac Synodalem Constitutionem decrevit ac statuit, ut deinceps in novis institutionum litteris, aut supradictis Epistolis apponendæ per Cancellarium Patriarchalem denominationes, enunciativæ, ac nomenclaturæ, quantum fieri potest, consonæ sint, convenientesque titulis originariis, & vero statui, aliisque justificatis, seu justificandis fundamentis cujuscunque Ecclesiæ, seu Beneficii, non obstantibus, quæ per priora tempora inscriptæ fuissent, denominationibus, enunciativis, aut nomenclaturis contrariis, ac dissonis a vero statu, titulo, ac fundamentis supradictis; declarando, per eas nullatenus, etiamsi ex certa scientia fuissent appositæ, quidquam novi juris acquiri posse, aut potuisse, juxta Clement. *Si summus* de sent. excom. aliorumque SS. Cann. sanctiones.

In Synodo Sessione tertia die 23. Augusti 1740.

*Jo: Dominicus Coronella*
*Cancellarius Patriarchalis Aquilejensis.*

 ORA-

# ORATIO FRANCISCI FLORII

## CANONICI THEOLOGI AQUILEJENSIS

## IN SYNODO DIMITTENDA.



COnstitutiones Synodales, quibus Ecclesiæ Aquilejensis Sanctitas non modo stet, sed vigeat etiam ac floreat quotidie magis, Dei O. M. summo erga nos amore, SS. Martyrum ac Patronorum nostrorum Hermagoræ & Fortunati ope ac fide, tuisque, Amplissime Patriarcha, laboribus & consiliis institutas, promulgatas, ac perlatas audivimus. Restat Synodorum ferme omnium exemplo, majorum nostrorum more & instituto, ut addatur ad earum observationem exhortatio. Et ea sane decet. Nec enim satis est, aures monitis præceptisque patuisse; sed necesse est etiam mores ad ea exigere & conformare. Quod si ita est, ut tam præclarum dicendi munus expleam, oratione opus est, non quæ doceat, quantum Pastoris vocem sequi debeamus ( hoc enim ex obedientiæ tibi præstandæ sacramento jam tum publice edito, cum Sacerdotio initiati sumus, satis perspicitur ) sed quæ legum, quas tulisti, fontes aperiens ad majorem earum cultum, observantiam, ac metum incitet & impellat. Quomodo igitur hoc exequar? unde id efficiam? Se-

Sequar Sanctum Spiritum, hoc est, illud Ecclesiastæ: (a) *Verba Sapientium, ut stimuli, habentibus cœtus data sunt a Pastore uno:* ac brevitate quanta potero maxima ostendam, leges a te sacro huic cœtui impositas e Sapientium disciplina collectas esse. Utinam detur mihi aliquid oratione complecti tanta erga me benevolentia tua; & causæ gravitate non indignum. Sed qualecunque erit quod dixero, præstet inire viam, quam ingenii mei tarditatem pluribus excusare.

Præclare ad Timotheum (b) scribens Apostolus, *depositum*, inquit, *custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiae.* Hæc ille Timotheo. Sed Vincentius Lirinensis (c) præceptum putat omnibus, quoscunque ad regendam Ecclesiam Dei posuit Episcopos Spiritus Sanctus. Integram enim & habere ipsi debent & aliis infundere fidei ac morum scientiam, non ab se excogitatam, sed sibi creditam; non rem ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed traditionis publicæ; cujus demum non auctores sint, sed tantum custodes & vindices. Hinc postquam Dominus per Jeremiam (d) monuit suum Populum, ut staret supra vias, & interrogaret de semitis antiquis, quæ esset via bona, & ambularet in ea; se constituisse ait non novarum legum latores, sed speculatores, ut scilicet, his in tubæ modum exaltantibus vocem suam, omnes, qui illius mandati obliti relicto hoc itinere antiquo & recto vias sibi devias per anfractus & præcipitia condidissent, revocarentur ab errore, & in viam bonam reducerentur.

Hæc

(a) *V. S. Hieronym. Commentarium.* (b) 1. *Timoth.* VI. 20. (c) *Commonit. cap.* XXVII. (d) *cap.* VI.

Hæc DANIEL Patriarcha Amplissimus, quem speculatorem supra nos constituit Deus, cum animo volveret, non ignórans illud Jobi: (*a*) in antiquis esse sapientiam; ut Ecclesiam hanc suam sanctissimis temperaret institutis ac legibus, exquisivit sapientiam antiquorum omnium sapiens ipse, eorumque nobis verba ita proposuit, ut eos adhuc viventes intueri & audire videamur. Ac ne quid aliter præsumeretur, utque ea, quæ ad perpetuam utilitatem sancita essent, nulla novitate, nullò pravo usu violarentur, proposuit nobis pro suo Episcopali munere non formam quamdam novam, sed omnino qualem sanctus Innocentius in celebri illa ad Victricium Rothomagensem epistola censet iis esse proponendam, qui vel ignorantia, vel desidia non tenent Ecclesiæ disciplinam; qua scilicet non nova imponantur præcepta, sed ea observentur, quæ neglecta sunt, ab Apostolis olim & Patribus constituta.

Et sane quam legem, Auditores, Hic tulit, quam non perferant, ac veluti communiant Canones spiritu Dei conditi, totiusque orbis religione ac reverentia consecrati? Repetite, quæso, memoria omnes quotquot sunt; eodemque tempore & Romanorum Pontificum epistolas, quibus jam inde ab Hieronymi (*b*) ætate Orientis, & Occidentis consultationibus respondebant, & Conciliorum collectiones, quibus Ecclesiæ universæ Antistites Cleri, Populique mores componere, sordes abstergere, evellere abusus maximo cum fructu aggressi sunt, animo percurrite: & videbitis, hos esse pu-

(*a*) *Cap.* XII. *v.* 12. *V. Eccl. cap.* XXX. IX. *v.* I. (*b*) *Epist.* CXXIII. 10. *ed Veron.*

purissimos illos atque uberrimos fontes, unde aquam vitæ hausit DANIEL, atque deduxit ad maximam vineæ suæ utilitatem.

Præ cæteris autem (ut prætercam Tridentinos Patres, quorum verbis sententiisque nemo non sensit hanc Synodum quasi gemmis distinctam esse) commemorandi hoc loco mihi sunt Præsules illi duo, qui eadem ferme ætate omnium secundum Romanam Occidentalium Ecclesiarum nobilissimas, Mediolanensem scilicet, ac Nostram hanc tenuerunt. Sanctum Carolum Borromæum & Franciscum Barbarum a me significari intelligitis, Auditores. Atque ille quidem, quem Pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, pluribus in Conciliis leges tulit, quarum copiam satis uberem Pastor hic noster in suam Synodum derivavit. Id vero cum optimo consilio, tum suo veluti jure fecit; cum leges illæ & bonorum omnium sententia, ac Sedis Apostolicæ oraculo sapientissimæ habitæ sint, & ex Ecclesia illa prodierint, cui olim tam arcta fuit cum hac nostra necessitudo disciplinæ, ut ipsi se invicem, quin tamen alter alteri subderetur, (*a*) Mediolanensis, & Aquilejensis Episcopi ordinarent, atque ad eandem Synodum frequenter una convenirent. Eximias autem Caroli virtutes cum Barbarus sibi ad imitandum proposuisset, ea reliquit vigilantiæ monumenta, quæ nulla unquam posteritas conticescat, aut deleat oblivio. Quot enim, bone Deus, labores pertulit! Quot in tota, quanta est, (*b*) perlustranda Patriarchali Diœcesi subiit vitæ discrimina! Quo animi robore adversus Lu-

(*a*) *Epistola Pelagii I. ad Narsetem*. (*b*) *Antonii Grimani Patriarch. Praef. ad Synodum* 1627. *Monum. Eccl. Aq. cap.* CXVI. *num.* I.

Lutheranam rabiem decertavit! Quid plura? Quantus fuerit, quantaque sapientia præditus, ostendunt maxime illius leges, quas vel congregato sæpius Diœcesis Aquilejensis Clero, vel in amplissimo illo, quem in hac urbe habuit, totius Provinciæ conventu promulgavit.

Quæ cum ita sint, quis neget, Amplissime Patriarcha, Sapientium nobis verba a te proposita fuisse? Quis præscripta hæc tua, perinde ac si novitate nos perturbare possent, minus vereatur? Eandem, quam Tu nunc a nobis, illi magni nominis Patres ab ævi sui Sacerdotibus poscebant vitæ sanctitatem, ne gravissimum ministerium vile haberetur; eandem sacrarum litterarum scientiam, ut fidei mysteria & præcepta tradere, ad virtutem pietatemque incitare, a vitiis revocare fideles possent; eadem in iis, qui Ordinibus Ecclesiæ initiarentur, probatæ vitæ, & supernæ vocationis testimonia requirebant. Quæcunque demum de Sacramentis caste administrandis suscipiendisque, de Festorum celebratione & cultu, deque aliis universis ( non enim in animo est, nec tempus sinit recensere singula comparando ) a Pastore nostro vigilantissimo accurate non minus quam prudenter sancita sunt, si quis nova existimat, is se in Sanctorum scientia plane rudem atque hospitem fateatur necesse est. Nova, inquam, non tulit mandata, quæ nostros angant animos ac sollicitos habeant, sed *verbis Sapientium*, iterum dicam, propositis, decori domus Dei, ac totius gregis saluti consuluit.

Dissimulare tamen hoc loco non possum, dolenterque potius dicam quam contumeliose, leges has nuper editas minus placere nonnullis posse, aut novas videri. Ubi enim puræ disciplinæ, quam Canones præscribunt, & intelligendæ & observandæ vigor incipit

te-

tepescere, irrepit statim, atque in dies excrescit ingeniorum licentia, modusque opinandi a doctrina Patrum & veritate alienus. Atque hæc libertas in Populi paullatim transit, & Cleri mores, maleque vivendi consuetudo ita demum inveterascit, ut filii mendaces, filii (*a*) nolentes audire legem, dicant videntibus: nolite videre; & aspicientibus: nolite aspicere quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Quid igitur mirum, si his, qui sunt adeo malæ consuetudinis imitatione assidua, suaque voluntate corrupti, ut quemadmodum de sæculi sapientibus dixit olim Lactantius, (*b*) nihil verum putent, nisi quod auditu suave est, nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem, hæ leges jucundæ non sint, quæ neque levitate, neque secundum carnem excogitatæ sunt? *Verba* enim *Sapientium*, *ut stimuli*. Utinam, Auditores, hæc Sapientium verba in unum collecta & data a Pastore uno, Patriarcha nostro, non pungerent; minus enim mali moribus subesse, minusque labis ostenderent. Verum cum pungant, cum dolorem afferant, nec molli manu inflicta a vitiis vulnera contrectent, facile declarant, & mores eorum, quibus videntur duriora, corruptos funditus esse, & se esse e Sapientium arcanis deprompta: *si cujus enim sermo*, pergit Doctor maximus Hieronymus hunc locum explanans, (*c*) *non pungit*, *sed oblectationi est audientibus*, *iste non est sermo sapientis*.

Præscribit consuetudo sæculi, quomodo componendi capilli sint, quinam debeat esse vestium cultus, & quæ-

(*a*) *Isa. cap.* XXX. *v.* 9. 10. (*b*) *Lib.* V. *Divinar. Institut. cap.* I. (*c*) *V. Comm. in Eccl. cap.* XII.

quænam elegantia? exquisitissima nempe & ad novos seculi mores ac modos omnino conformata? Nihil optatius, nihil jucundius. Eadem quotidie patulas aures personat, & suadet modo ludicra histrionum spectacula, modo choreas & saltationes, nunc convivia, nunc aleas? Quid gratius horum hominum auribus accidere, quid amabilius potest? Quid si porro pergat, & eos hortetur, ut divina procuratione contempta negotiis sese profanis immisceant, ut bonorum Ecclesiæ dominium sibi vindicent? hæc vero voluptatum omnium voluptuosissima est, & per omne fas ac nefas concilianda. At hi præclari mores fulciantur responsis magistrorum prurientium auribus, illorumque, quos increpat vehementissime Isaias: (*a*) *Vae*, *qui sapientes estis in oculis vestris*, *& coram vobismetipsis prudentes;* non illorum vere sapientium, e quibus DANIEL præscripta sua decerpsit: quorum severitas magistra pudoris & verecundiæ statuit, ut quæ alias a Pontificibus summis, & a sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda copiose ac salubriter sancita sunt, eadem imposterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Episcopi imponendis observentur. Auditis me non meis, sed Tridentinorum (*b*) Patrum verbis uti. Quorsum hoc? Ut intelligatis, haud graviori jugo nos nunc subesse, quam quod jam talis ac tanti Concilii decreta imposuerunt.

Veneremur itaque, atque observemus Synodales has Constitutiones; Sapientium enim verba, hoc est Pontificum, & Conciliorum regulas ita observabimus. Dominentur nobis Patrum regulæ, nec eas ad consuetu-

di-



(*a*) *Cap.* v. *v.* 21. (*b*) *Sess.* XXII. *cap.* I. *De Ref.*

dinem, quæ corruptela verius dici debet; sed nostros semper mores ad eas accommodemus. Quod si aliorum exemplo nobis vivendum est, sequamur potius majorum nostrorum mores ac disciplinam. Adulto enim sæculo Ecclesiæ quarto, ut testatur Sanctus Hieronymus, (*a*) tanta celebritate famæ *Aquilejenses Clerici* noti erant, ut *quasi Chorus Beatorum* haberentur. Eorum tunc temporis studia erant, de Scripturis aliquid semper aut proponere, aut libenter audire; Symbolum initiandis tradere & explicare; ab urbe denique Ariani dogmatis virus excludere. His certe nominibus celebrat Hieronymus (*b*) & Chromatium Presbyterum (qui deinde Ecclesiam hanc tenuit) & ejus germanum sanguine & morum æqualitate Eusebium Diaconum, & Jovinum, & alios; & quidem tanta pietate & doctrina nobiles, ut eorum & amicitiam jucunda consuetudine litterisque colendam, & sanctitatem immortalitati consecrandam sibi putaverit. Annon igitur turpissimum nobis esset tot ac tanta Ecclesiæ nostræ exempla negligere ac parvifacere? Annon fœdissima dedecoris macula susciperetur, si eos imitari, si eorum vivendi imaginem exprimere, si eos denique sequi non conaremur?

Videamus, quæso, etiam atque etiam, ne hinc quoque gravius judicemur. Quid enim illis suppeditavit, quod nos non habeamus? Habebant illi ad virtutem ducem Sanctum Antistitem Valerianum; nos Successorem ejusdem vigilantissimum DANIELEM: viderant illi suum vineam hanc purgantem colentemque studio-

---

(*a*) *In Chronico ad an.* 378. (*b*) *Monumenta Eccl. Aquil. cap.* VIII.

diosissime; vidimus nos hunc, simulatque ad eandem Ecclesiam venit, statim Clerum perlustrasse, nullisque nec temporum incommodis, nec tempestatum ingruentium procellis, nec excurrentium fluminum periculis quidquam retardatum, quo minus Diœcesim tam variam, tam longe lateque diffusam triennio totam (qua patet aditus) visitaret præsentia sua, præceptis excoleret, verbo exemplo & auctoritate componeret. Quid ergo, quid reliquum est, nisi ut quemadmodum tunc temporis, ita & nunc montes umbra Ecclesiæ hujus operiat, arbusta ejus sicut cedri Dei in miram altitudinem excrescant, & vino torcularia redundent? Si quid aliter accidet, nostra culpa accidet, Auditores.

Quid enim est, Amplissime Patriarcha, quod facere debueris vineæ huic tuæ, & non feceris ei? Optimis legibus tua exempla respondent. Neque enim sanxisti leges, quibus ipse non pareas; sed docens ista præcipiendo, & faciendo confirmans imponis omnibus non aliqua vi, sed pudore obsequendi necessitatem. Erepta est hoc modo omnis excusatio, & gravioris culpæ reus erit, qui Te doctorem virtutis, eundemque ducem sequi noluerit. Verum meliora ominari licet. Hic sane cœtus multis mihi nominibus reverendus, sacerque maxime Ecclesiæ tuæ Senatus te Patrem, te Pastorem suum agnoscet, verbaque Sapientium per te sibi data tenebit diligenter, & diu noctuque meditabitur. Ita faxit Deus virtutum, ut & nos gratiæ suæ rore affluente, quæ promittimus, fideliter præstemus, & Tu huic vineæ uberrimos, atque ea dignos fructus referens diutissime præsis.

IN-

# INDEX.



De

*Sa-*

De

FINIS.